ANTIQVITATVM ROMANARVM EPITOME

AD VSVM

SEMINARI NEAPOLITANI.

EDITIO QUINTA

AVCTIOR ET EXPOLITIOR

AVCTORE

SALVATORE AVLA

PARS SECUNDA.

NEAPOLI

TYPIS HAEREDUM MICHAELIS MIGLIACCI

1843.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ANTIQVITATVM

ROMANARVM

EPITOME.

CAPVT I.

De Vestibus Romanorum.

Quae a Romanis adhibita vestimenta prodidere veteres scriptores, ea pro temporum, locorumque varietate multiplicia fuerunt; quandoquidem non una semper et ubivis ratio in re eiusmodi obtinuit. Itaque cum de ipsis modo dicendum nobis sit, id prae caeteris operam dabimus, ut ubinam, aut quando singula usurpata fuerint, recte et ordine dignoscatur: quippe cum id sit prope

*

maximum momentum*, quod ad huius rei utilitatem possit accedere.

§. I.

De Toga.

Celebratissimam ex universis aliis Romanis vestibus Togam primo loco producturi, ita rem totam digeremus, ut heic eius tantummodo Vsum, Formam, Materiam et Colorem aperiamus; reliqua vero, ne plura simul confusionem gignant, sequenti §. excutienda remittamus.

I. Non alio magis vestitu, quam Toga, Romanam gentem iam inde fere ab initio fuisse delectatam, multo vulgatius est, quam ut monitore indigeat. Et certe in tam sollemni consuetudine apud eam illa fuit, ut nulli cuiuslibet ordinis conditionisque essent (neque etiam ipsae olim feminae, uti testatur Nonius XIV. 25.) qui, modo per censum liceret, ea non uterentur. Atque hinc factum est, ut et *Togati* vulgo Quirites ipsi, et *Togatae* illae fabulae vocarentur, quae Romanos homines exhiberent; sicut contra *Palliatae*, in quas Graeci, quorum proprium fuit Pallium, inducerentur.

Praeter Romanum autem nomen, quaecumque aliae gentes legibus Romanis viverent, ad principis populi exemplum togam induebant.

Huius vestimenti usus non nisi extra domum erat, quod propterea inter *forensia* recensetur. Itaque in conviviis domesticis locum non habuit, immo neque per urbem totis Saturnalibus, per quos dies, quasi perpetuo epularentur, ita passim non toga, sed synthesi (coenatoria veste pallii instar) induti Romani homines incedebant. Quare

apud Martialem XIV. 139. sub lemmate *Synthesis* dicitur:

> *Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,*
> *Hos poteris cultus sumere iure tuo.*

Verum etsi indubium de conviviis privatis sit, togam inde penitus exulasse, secus tamen de publicis, atque imperatoriis est sentiendum, in quibus more plane diverso ea ipsa adhibebatur. Hinc Spartianus in Severo 1. refert: *Cum rogatus ad COENAM IMPERATORIAM palliatus venisset, qui TOGATUM venire debuerat, TOGAM praesidiariam ipsius imperatoris accepit.* Quo quidem tempore, quoniam ita, ne impedimento foret, aptabatur, ut e superiore parte utrique brachio subesset, hac de causa *submissam* dixisse videtur. Idem in Hadriano 22. cum scripsit: *Ad convivium venientes senatores stans excepit: semperque aut pallio tectus discubuit, aut TOGA SVBMISSA.*

Adhaec nulla togae cum armis ac praeliis florente republica cognatio fuit. Vnde profectum, ut voces ipsae *Toga* et *Togatus* ad pacis tempora urbanamque sedem designandam vulgo fuerint accommodatae. Hac ratione Tullius III. Catil. 10. *Erepti estis*, inquit, *ex miserrimo ac crudelissimo interitu, et erepti sine caede, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione. TOGATI me uno TOGATO duce et imperatore vicistis.* Quem ipsum eamdem ob rem *primam omnium IN TOGA triumphum, linguaeque lauream meritum* dixit Plinius VII. 30.

Antiquissimis tamen temporibus, inter pugnandum milites togis fuisse instructos, non unus locus est, unde intelligatur. Ea de re sic Festus scripsit: *Endoprocinctu, in procinctu. Significat autem, cum*

ex castris in praelium exitum est: procinctos quasi praecinctos atque expeditos. Nam apud antiquos TOGIS INCINCTI PVGNASSE dicuntur. Nimirum, ne tam ampla et implicata vestis praeliantibus impedimento foret, omnino praecingeretur oportuit, et quidem cinctu Gabino, quem nos non multo post expediemus. Atque hinc *testamenta in procinctu* dicta sunt, quae a militibus iam iam praelium inituris fiebant: cuius instituti, in primisque togae id temporis praecingi solitae diserte meminit Plutarchus in Coriliano.

Cave autem putes, hunc togas inter arma gestandi morem diutius perennasse; nec te decipiat, quod aliquoties de inferioribus Romanae rei aetatibus agens Livius praebitas refert togas exercitibus, quasi vero etiam tum eae fuerint comites armorum. Id enim ita accipiendum est, ut in castrorum tantum otio, non autem in acie usurpatae credantur, nec vero promiscue a vulgo militum, sed a primoribus modo, ut ex eiusdem scriptoris verbis satis liquido elicitur. Is enim Lib. XXII. 54. cum et pedites, et equites nominasset, his tamen solis datas memorat togas: et XLIV. 16. missa narrat militibus triginta millia tunicarum, togarum autem non plura, quam sex millia; quippe cum illae communes omnibus, hae solummodo optimatum essent. Confirmat hoc totum locus Capitolini de Antonino Philosopho 27. ubi, tanquam res nova, ita traditur: *Per Brundusium veniens in Italiam, togam et ipse sumpsit, et milites togatos esse iussit: tum postea nec unquam sagati milites sub eo fuerunt.*

Peculiare igitur maximeque proprium incolentium urbem hominum gestamen toga erat. Verum ubi tandem respublica concidit, sensim eiici illa coepta est, et eousque negligi, ut vix apud hone-

stissimos quosque perstiterit, cum iam reliqui ad lacernas potissimum declinassent. Idque fuit in causa, quamobrem Augustus, referente Svetonio in eius vita 40. *visa quondam pro concione pullatorum turba indignabundus clamitans, En, ait,*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Eo autem ipso aevo, quo is habitus in desuetudinem non minimum abierat, ad certa tamen obeunda munia nunquam non assumebatur. Igitur et Salutatores, qui summo mane salutatum potentiores ibant, et Deductores, qui eosdem ad forum descendentes, vel quolibet euntes assectabantur, his praestandis officiis togati erant. Quare Martialis XIV. 123. cecinit:

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
A trita veniet sportula (1) saepe toga.

Et Juvenalis I.

. . . . Nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbae rapienda togatae.

---

(1) Cum mos esset, iis, qui salutatum assectatumque optimates ibant, cibos identidem in ipso domus limine impertiri; eosdem, quippe in sportulis exhiberi solitos, *Sportulae* nomine appellari placuit. Nonnumquam autem ciborum loco nummi dabantur, centeni ferme quadrantes. Itaque Martialis I. 59. inquit:

Dat Baiana mihi quadrantes Sportula centum.

Et X. 74.

Anteambulones et togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto.

Vbi *plumbeos* pro quadrantibus maluit dicere: de quo re Cap. V. de Roman. Nummis § 1. sermo erit. Atque id quidem totum a sordidioribus factitatum.

At elegantiores pro sportula *Coenam rectam*, i. e. iustam legitimamque dabant. Hinc idem VIII 49.

Promissa est nobis sportula, Recta data est.

Adhaec patronos, cum causas agerent, vulgo per eadem tempora fuisse toga indutos, non pauca sunt, quae indicare videantur. Pro caeteris satis sit argumentum e Quintiliano petitum, qui Lib. XI. 3. Oratorem suum hac plane veste, tanquam illius muneris individua comite, exornat.

II. Explosa iamdiu illa sententia fuit, quae Togam apertis vestimentis adnumeraverat, atque in eam frequenter itum est, quae rotundam ipsam clausamque constituit. Hac igitur forma cum esset, tum unico iniectu imponebatur, tum totum simul hominem, exstante tantum capite, obtegebat. Eius autem ad collum laxitatis antiquitus erat, ut illac dextera tantum manus exseri posset, ut clare colligitur ex eodem Quintiliano ibid. (2). At sequioribus aetatibus, Augusti praesertim aevo, adeo superior is togae ambitus ampliatus est, ut non manus modo, sed et totum brachium humerusque per eum exporrigeretur; ipse vero ambitus brachio submissus a dextero latere ad sinistrum humerum oblique excurreret. De eo intelligi debent verba Fabii XI. 3. cum inquit: *Ille qui sub humero*

---

(2) Haec Fabius de priscis illis: *Gestu necesse est usos esse in principiis eos alio, quorum bruchium, sicut Graecorum, veste continebatur.*

Ex hoc autem communi olim omnibus more occasionem nos arripimus, alium, qui non incommode huc conferri potest, subiiciendi: qui tamen ad adolescentes solummodo, nec nisi vetustiore aevo, pertinuit, cum togam virilem sumerent. Eum sic declarat Tullius pro Coel. 5. *Nobis quidem olim annus erat unus ad COHIBENDVM BRACHIVM TOGA constitutus.* Id vero non eo fiebat, quod eorum toga, ut omnium quondam: augustior ad cervices esset, sed cuiusdam modestiae gratia, exemplo a Graecis derivato, apud quos manum pallio continere, quod eis dictum εἴσω τὴν χεῖρα ἔχειν modestiae erat indicium.

dextero ad sinistrum oblique ducitur velut balteus, nec fluat, nec strangulet.

Illa autem togae ex humero deiectae redundantia ita, ne diffueret, componebatur. Primum ambitus ipse multa plicarum compage constringebatur; tum per eum, quasi per balteum, pars demissae togae traiiciebatur, eidemque imposita considebat. Huc spectat illud eiusdem Quintiliani, quod locum modo allatum statim sequitur: *Pars togae, quae postea imponitur* (scil. balteo) *sit inferior: nam ita et sedet melius, et continetur.* Atque hanc ipsam togae partem balteo iniectam, ac propterea exstantem, et quodammodo exuberantem, eam fuisse credimus, quam *Vmbonis* nomine dixerint veteres (3).

Iam vero multiplices rugae ex eiusmodi togae compositione enascentes, quae nimirum e balteo profectae deorsum orbiculatim evolvebantur, *Sinus* nomine appellatae fuerunt: qui sane sinus,

---

(3) E reliquis doctorum hominum de togae *Vmbone* sententiis (quae vel sinum ipsum togae, vel balteum, vel rugas in sinistro brachio collectas, vel etiam nodum, qui illam in laevo humero constringeret, hoc donatum fuisse nomine prodiderunt) haec, quam attulimus, magis arridet. Certe togatam imaginem intuenti ita pars illa balteo imposita in oculos incurrit, ut, quam recte *umbo* dici potuerit, per se ipsa ostendere videatur. Hinc autem pronum erit intelligere, quid sit apud Macrobium III. Saturnal. 13. *nodus lateris* in toga.

Is scilicet umbo ipse fuerit oportet: sic ab eo appellatus, tum quod quasi nodi speciem prae se ferebat, necnon vicem quodammodo fungebatur; tum quod ad sinistrum hominis latus, ut in apposita tabula patet, accedebat. Verba scriptoris haec ipsa sunt: *Togam* (Hortensius) *corpori sic applicabat, ut . . . . sinus ex composito defluens NODVM LATERIS ambiret.*

pro diversa togae amplitudine, effusior angustiorve erat. Is ab ipso Fabio ibid. ad hanc normam exigendus statuitur: *Sinus decentissimus, si aliquando supra imam togam fuerit, nunquam certe sit inferior.* Quoniam vero veteribus, qui dexterum brachium adhuc veste continebant, togam inde deiicere mos non erat, hinc nullum eiusmodi sinum apud eos fuisse enunciat. Idem eodem loco his verbis: *Veteribus nulli sinus: perquam breves post illos fuerunt.*

Quod porro ad sinistram togae partem conformandam aptandamque pertinuit, haec inferne collecta alteri brachio in *normalem angulum* (uti loquitur Quintilianus l. c.) inflexo imponebatur; eaque ratione fiebat, ut foras laeva manus educeretur. Hinc autem cum non paucae quoque exsisterent rugae, quae sinuosis flexibus ad ima decurrebant, iis pariter *Sinus* appellationem inditam fuisse cum Ferrario opinamur. Id enim omnino postulare videtur locus Svetonii de Caesare 82. *Ut animadvertit undique se strictis pugionibus peti toga caput obvolvit: simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit.* Neque enim heic, ut res ipsa testatur, vox *Sinus* de alia togae parte intelligi debet, quam de illa, quae sinistro cubito incumbebat, quamque ille iam iam moriturus demiserit; cum caeteroqui haud facile caput sit, quo pacto ille alter Sinus, de quo supra, ad ima crura demitti potuerit.

Notatu interim heic dignum est, ad hanc togae partem pertinuisse illud: Sinum e toga facere; quod aliud omnino a prioribus genus erat. Hoc enim in eo vertebatur, ut laciniam laevo brachio sublatam dextera manus expanderet, et in concavam quamdam formam componeret. Ita ex Livio XXI. 18 *Romanus* (legatus) *SINVE TO-*

ɔa-
ɲc
ɩ,
F-
ɩe-

s,
ɔe-
m
ɩis
us
en
eo
b-
us
e-
n-
i,
s-
,
ie
n
x
is
i-
o
t
s
-

consul
VII. A
deduxi
bebant
tum q
apud I
faciund

(4) Opinioni quod cingi toga consu
causam dedit narratio Macrobii Saturn.
ba: *Ita* (Caesar) *toga praecingebatur*
ciniam velut mollis incederet.

Verum de tunica illum, non de toga d
tis evincit locus Svetonii in Iul. 45. quem
tatione 8. dabimus.

p:
st
n
si
c
d
g
e
e
l

...nistra
ue enim
de alia
, quae
lle iam
qui haud
nus, de
.

hanc to-
... perduuisse ... toga fa-
...uod aliud omnino a prioribus genus erat.
...n in eo vertebatur, ut laciniam laevo
sublatam dextera manus expanderet, et in
am quamdam formam componeret. Ita ex
XXI. 18 *Romanus* (legatus) *SINVE TO-*

GA FACTO: heic, inquit, vobis bellum et pacem portamus; utrum placet, sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret utrum vellet, succlamatum est: et cum is iterum SINV EFFVSO bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt.

Iam vero ex eo, quod, ut modo indicavimus, togati homines sinistrum brachium inferne educebant, illud omnino sequitur, nullo cinctu togam fuisse constrictam; quamvis eruditorum aliquis contra senserit (4). Vnus modo *Cinctus Gabinus* fuit, qui ad vestem hanc pertinuit; qui tamen nihil cum cingulo commune habuit, sed in eo totus fuit, ut togae lacinia sinistro brachio subducta reiiceretur in tergum, indeque ad pectus revocata in nodum colligaretur, eoque pacto medium hominem circumcingeret. Eiusmodi sane Cinctus, ad togatum ipsum expediendum unice natus, a Gabiis profectus, apud Romanos certis quibusdam temporibus locisque obtinuit.

Itaque usi eo fuere, tum (quod plane necesse fuit) veteres illi, qui in togis pugnarunt: tum consul, cum bellum indicebat, prout liquet ex VII. Aeneid. 612. tum qui magistratus, colonias deduxissent, dum urbis moenia aratro circumscribebant, uti adnotavit Servius ad V. Aeneid. 750 tum qui se pro patria devovebant, ut legere licet apud Livium VIII. 9. et X. 7. tum qui sacris faciundis vacabant, ut noscitur ex eodem histori-

---

(4) Opinioni quod cingi toga consueverit, praecipuam caussam dedit narratio Macrobii Saturnal. III. in haec verba: *Ita* (Caesar) *toga praecingebatur, ut trahendo laciniam velut mollis incederet.*

Verum de tunica illum, non de toga debuisse loqui, satis evincit locus Svetonii in Iul. 45. quem posthac ad notatione 8. dabimus.

co V. 43. et ex Lucano I. tum denique bellorum duces, quando cremandis spoliis operam dabant, quod palam facit Appianus in Punic. et Mithrid.

Atque haec, quae togae formam spectarent, dicere habuimus: queis postremo adiicere non abs re fuerit, id vestimenti genus ad talos usque olim fuisse demissum, quale appositae imagines exhibent; at Quintiliani aevo ad medium modo crus descendisse, quod constat ex eiusdem verbis loco per nos heic pluries memorato.

III. Quod autem reliquis omnibus per ea tempora vestibus, id ipsum Togae praestitit materiam, scilicet lana. Huius vero, quod ad rem praesentem attinet, duplex genus proderit animadvertere. Alterum genus valde villosum erat, ex quo confectas vestes non male *pexas* Latium vocitavit, quod ob villorum densitatem atque eminentiam quasi pecti posse viderentur: quae rursus ubi usu obsoletae forent, apte admodum *tritae* vocabantur. Utrasque sic e regione posuit Martialis II. 58.

PEXATVS pulchre rides mea, Zoile, TRITA.

Et Horatius I. Epist. 1.

: . . . . . *Si forte subucula PEXAE*
TRITA subest tunicae, vel si toga dissidet impar,
RIDES.

Alterum lanae genus villis expers ita paucis designatur a Plinio VIII. 48. *Liburniae Istriaeque* (lana) *pilo propior, quam lanae, pexis aliena vestibus.* Quae inde igitur conficiebantur vestimenta, ea non *pexa* quidem; sed *rasa* dici consueverunt: sed et ipsa porro nonnunquam *scutulata*, quandoquidem eo opere (etsi rarius nec plane ex antiquo more) contexi solebant, ut passim scutulis sive laterculis ad ornatum distinguerentur. Quapropter idem scriptor ibid. statim subiicit,

eiusmodi lanam, qua de agitur *SCVTVLATO TEXTV* commendari. Ad haec refertur illud Iuvenalis Sat. II.

Coerulea indutus SCVTVLATA, et galbana RASA.

Huic vero reticulatae structurae nullus in pexo vestitu locus dabatur; etenim in eo ipsa villorum spissitudo totum artificium contexisset.

IV. A colore tribus donatae sunt Togae nominibus, dictaeque *albae*, *candidae* atque *pullae*.

1. Communi quidem consuetudine *albas* fuisse usurpatas confessum est apud omnes. Adversus autem testatissimam hanc opinionem unum modo non leve occurrit, quod quaeri possit, quare, si ita se res habuit, albatos tamen in celebritatibus festisque diebus homines fuisse tanquam ex non vulgari more tradant scriptores, atque adeo ipsam vestium albedinem singulare laetitiae argumentum exstitisse significent. In quam sententiam cecinit Flaccus II. Serm. 2.

. . . . Licebit
Ille repotia, natales, aliosque dierum
Festos ALBATUS celebret.

Verum duo haec sibi in speciem obstantia facillimum erit conciliare, si advertatur, non alia festo tempore vestimenta, quam recens lota, nec adhuc usu sordida sumi consuevisse. Apparet id rectissime ex illo Ovidii Fast. I.

VESTIBVS INTACTIS Tarpeias itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.

2. Togis igitur vulgo adhibitis inerat nativus ipse lanae albae color. At ubi adscitus a creta alter inducebatur, quo albicarent magis, simulque splendescerent, tum vero eiusmodi togae *candidae* vocabantur. Harum itaque id proprium

fuit, ut praeterquam quod fullonica arte cretaeque-ope, sicut et aliae omnes, dealbabantur (quod liquet ex Plinio XXXV. 17.); tum vero etiam creta illitae praelo subiicerentur, quo splendorem captarent. Ipsae autem ad eos pertinebant, qui honores peterent, *Candidati* propterea appellati: qua eadem de causa *cretatam ambitionem* dixit Persius Sat. V. Extat adhuc inter Ciceronis fragmenta titulus Orationis: *In toga candida*, quam ipse candidatus consularis in C. Antonium et L. Catilinam competitores habuit.

3. Toga porro *pulla* atro fuit colore: quam in luctu privato, alba posita, sumebant, indeque *pullati*, aut *atrati* dicebantur. Quaecunque igitur defuncto praestarent officia, ad ea lugubre hoc vestimentum adhibere necesse erat. In epulo tantum funebri albati accumbebant, quippe cum is dies festus haberetur. Ex quo oria est obiurgatio illa Tullii in Vatin. 13. *Quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari coenavit cum toga pulla? . . . . Cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli dominus, Q. Arrius, albatus esset, tum in templum Castoris te cum C. Fidulo atrato . . . funestum intulisti.*

Vide tamen, ne, ubicumque occurrant *pullati*, ab omnibus suos mortuos lugeri arbritreris: etenim hoc nomen tenuiorum quoque sequiore aevo fuit, qui vulgo sic coloratas vestes tunc temporis usurpabant. Luculenter hoc indicat lex Augusti apud Svetonium 44. qua sanxit: *Ne quis pullatorum media cavea sederet.* Hinc etiam Quintilianus VI. 5. *pullatam turbam* dixit, et XI. 3. *pullatum circulum*, denique Calpurnius *n.* 79. *pullatam paupertatem*.

Rursus vero cavèto, ne eamdem, ac pullam, togam *sordidam* fuisse credideris. Haec enim alba

quidem, sed sordibus infecta, ad humilioris conditionis homines pertinuit, quorum fortuna non multum munditiei patiebatur, nec non ad reos, qui eo squalore misericordiam in se hominum permovere conabantur: iique universi *sorditati* dicti.

Quoniam de toga luctus privati socia locuti sumus, bene erit adiicere, quaenam publici luctus fuerint insignia. Huius enim ratio diversissima exstitit: quandoquidem in eo magistratus, qui utebantur praetextis, eas ponebant, cum latum interea clavum (prout patet ex Dione LVI.) ad dignitatis indicium adhiberent: senatores (teste eodem ibid.) posito lato clavo angustum sumebant: equites suum clavum amovebant. Plebem autem nonnulli opinantur a togis albis ad pullas, alii ad saga transisse: at nulla videtur esse potior ratio, quae pro alterutra parte assensum extorqueat. Quidquid autem id fuerit, non dubitatur certe, plebeios etiam iis temporibus mutasse vestem. Huc maxime confert, quod ait Cicero pro Sext. 11. *Heic subito cum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota urbe cunctaque Italia convenisset, VESTEM MVTANDAM OMNES . . . putarunt.*

§. II.

De Aliis Togae Generibus.

Vulgarem ad id loci togam excussimus: sequitur nunc, ut eas videamus, quae non quidem forma (quae omnium una fuit), sed ornatu, nomine, usuque a prima illa discreparunt. Hae vero sunt Praetexta, Trabea et Picta.

I. Toga Praetexta appellationem ex eo mutuata fuit, quod limbum purpureum extremae orae praetextum seu circumtextum haberet. Hanc autem institam ita attexi mos erat, ut non cum

togae lacinia ad talos descenderet, sed aliquanto hac superior exstaret. Atque hinc datur intelligi, quare Cicero pro Clueut. 40. Quintium accuset his verbis: *Facite, ut non solum mores eius, et arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam VSQVE AD TALOS DEMISSAM PVRPVRAM recordemini.*

Iam vero Praetextam gerebant primum et puellae, donec nuberent; et pueri (superioribus aetatibus tantum ingenui, posterioribus etiam libertini) ad certum aetatis annum, quem alii decimum quintum, alii decimum sextum ineuntem fuisse arbitrantur; olim autem decimum septimum completum, non levis est coniectura. Quando autem illi (ut id etiam huc conferatur) eius generis vestem dimittebant, simulque bullam auream (5)

---

(5) Bullam collo suspensam gestasse pueros, atque ex auro quidem ingenuos, e pelle autem libertinos, testatur praeter alios Asconius in Cic. 1. Verr. 58. Eamdem rotunda fuisse figura, liquet ex Plutarcho Quaest. Rom. 99. ubi ea ad lentis, aut disci instar conformata dicitur. Sunt vero, qui cordis potius imaginem prae se tulisse bullam opinentur ex eo, quod Macrobius I. Saturnal. 6 inquit *Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut CORDIS FIGVRAM IN BVLLA ante pectus annecterent, quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde praestarent.* Verum nil plane hinc ad rem confici animadvertit iam Schefferus de Torquib. 5. quandoquidem ibi non bulla effigiem cordis habuisse perhibetur, sed in bulla ipsa cordis figuram exstitisse, quae in eius medio exsculpta, aut quoquomodo expressa fuerit. Id ipsum confirmat marmoreis monumentis Sponius Miscell. Erud. Ant. IX.

Quod vero eiusmodi puerile ornamentum laribus demum donaretur, declarat ita Persius V.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
BVLLAQVE succinctis LARIBVS DONATA pependit.

laribus dicabant, tunc togam *virilem*, cui et *purae*, et *liberae* data nomina, sumebant: idque ipso fere *tirocinii* (6) die factitatum.

Adhaec gestamen Praetexta fuit magistratuum maiorum: quam rem satis declaravimus in de Magistrat.

Ornati eadem procul dubio fuerunt primarii quidam sacerdotes, cum sacra facerent. Quo pertinent verba haec Plinii IX. 36. de purpura: *Diis advocatur placandis*. Et certe a Pontifice maximo, a Decemviris sacris faciundis, ab Auguribus adhibitam fuisse Praetextam palam faciunt scriptorum testimonia. Ac de augurali praecipue praetexta illud proditum memoriae est, ei exornandae *dibapham*, idest purpuram

---

Vnde id praeterea, corollarii loco, accipias licet, *succinctos* dici *Lares*, quod caninam pellem, qua induti erant, alte cinctam peregrinantium more haberent.

(6) *Tirocinii* voce, quod huc attinet, significatum voluit latina aetas primum adolescentium ingressum in forum: per quem illi inter civiles res versari incipiebant, et quamdam forensis vitae rationem auspicabantur. Eo itaque die, qui ipse esse solebat, quo toga virilis sumebatur, primum in forum, tum inde in Capitolium ab amicis eximiaque dignitatis viris deducebantur. Eapropter Plinius I Epist. 9. *Si quem*, inquit, *interroges*, *hodie quid egisti? respondeat*, *OFFICIO TOGAE VIRILIS interfui*. Et Valerius Maximus V. 44. *M. Cotta eo ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut E CAPITOLIO DESCENDIT, Cn. Carbonem, a quo pater eius damnatus fuerat, postulavit*. Quae celebritas ut insignior evaderet, in more simul erat positum, pecuniam muneraque passim elargiri.

Non minimum porro ad hanc rem pertinet dicendi ratio, quam habet e caeteris locus Livii XLV. 37. *Servius quidem Galba, si in L. Paullo accusando TIROCINIVM PONERE et documentum eloquentiae dare voluit*, etc. Quae ipsa ad alia quaevis transferri queat.

bis tinctam, usui fuisse. Unde factum, ut sic scriberet Tullius II. Fam. 16. *Curtius noster DIBAPHVM cogitat*, *sed eum infector moratur*: siquidem is auguratum appetebat, sed non facile erat, ut vel per Caesarem, vel per populum assequeretur.

Senatores quoque in ludis Romanis praetextatos fuisse, non temere opinatus est Manutius ex illo loco Ciceronis II. Philipp. 43. *Nescis, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur? CVR NON SVMVS PRAETEXTATI? cur honorem Caesari tua lege datum deseri patimur?* Sermo sane ejusmodi unde satis prono alveo laudata opinio emanare videatur. Quae si vera sit, eodem revocandum erit, quod profertur a Propertio IV. 1.

Curia, PRAETEXTO quae nunc nitet alta SENATV,
Pellitos habuit rustica corda patres.

II. **Trabea** purpureis fasciis, trabium instar intertextis, transversimque decurrentibus, variata erat. Triplicis eam fuisse generis tradit ex Svetonio Servius ad Aen. VII. 612. atque unam quidem tantum ex purpura, eamque Diis sacratam. At qui factum fuerit, ut, cum uno haec esset colore, Trabea tamen diceretur, non apparet. Alteram porro ait purpuream fuisse, immixto albo: tertiam denique e purpura, et cocco exstitisse. Ex his duabus priorem ad reges pertinuisse refert, posteriorem ad augures.

Caeterum equitesTrabea in transvectione usos memoravimus iam Part. I. p. 83. Qui propterea *Trabeata agmina* vocantur a Statio in Epulo Domitiani:

Heic tum Romuleos proceres, TRABEATAque Caesar.

AGMINA mille simul iussit discumbere mensis.

Eumdem amictum consulibus aliquando adhibitum declarante verba Maronis VII. Aeneid. 612.

Ipse Quirinali Trabea, cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina consul.

III. Toga Picta, quae acu pingi solebat, purpurea fuit, auroque, phrygionis (nonnunquam etiam textoris) opere, distincta. Eamdem a palmarum imaginibus, quas plerumque exhibebat, *Palmatam* appellari placuit: nec non *Capitolinam*, tum quod eo habitu Iupiter in Capitolio ornatus erat, tum quod in ipsius templo universum id vestium genus asservabatur, unde, cum opus foret, desumerentur: postremo *Triumphalem*, cum propria triumphantium esset. At vero sub Imperatoribus consules etiam, cum magistratum Kalendis Ianuariis inibant, et praetores, cum ludos edebant, ea usos accepimus. Referenda huc veniunt dicta Lampridii de Alexandro Severo 40. *Praetextam et Pictam togam nunquam nisi consul accepit: et eam quidem, quam de Iovis templo sumptam alii quoque accipiebant aut praetores, aut consules.*

§. III.

De Tunica, Eiusque Multiplici Genere.

Vsitatissimus alter Romanae gentis amictus erat Tvnica: ad quam quidquid spectarit iam expensuri, prius vulgarem eius rationem, inde peculiaria genera persequemur.

I. Adeo id vestimentum commune viris omnibus habebatur, ut illi ipsi, quos inopia togam induere non sinebat, nunquam tamen tunica carerent; quam ob rem *Tunicatum popellum* dixit Venusinus poeta I. Epist. 7. Verum quod in urbe

pauperiorum solum erat, ut tunica sine toga uterentur, hoc idem in agris vel ditissimi quique factitarunt. Quo respicit exclamatio Martialis X. 52.

.... *O soles! o Tunicata quies!*

Quando autem tunica simul cum toga gestabatur, huic illa suberat: quae et ipsa lanea, atque alba (7), adhaec manicis expers, ad medium ferme crus defluebat. Atque haec duo postrema eius erant instituti, ut aliter fieri summo sine dedecore non posset. A qua est causa, quamobrem Tullius II. in Catil. 10. haec de grege coniuratorum stomachose efferat: *Quos pexo capillo nitidos... MANICATIS et TALARIBVS TVNICIS videtis.* Nec absimili ratione Numanus IX. Aeneid. 616. Troianis exprobat, quod

ET TVNICAE MANICAS, et habent redimicula mitrae.

Quod tamen ad manicas attinet, ne quis sic accipito, quasi nullis omnino praedita haec vestis fuerit: habuit namque suas, non certe quae ad manus usque descenderent (qualibus instructas tunicas, *Chiridotas*, et *Macrocheras* posterior actas dixit); sed quae mediam brachii curvaturam non excederent.

Tunicam, secus ac togam, cinctu costringere moris fuit. Quae res sicut recte servata sollertiae argumentum habebatur, ita neglecta nunquam non desidiae atque incuriae data est. Itaque discinctum,

---

(7) Proprium albae lanae colorem in tunica fuisse servatum, peraeque ac in toga factitatum supra memoravimus, nihil est, quod in dubium revocetur. Notandum tamen est, humilis sortis homines vertentibus annis ad tunicas pullas declinasse. Atque hinc ansam arripuit Cicero Verrem IV. 24. obiurgandi, *quod in officina maiorem partem diei cum TVNICA PVLLA (sellulariorum more) sedere solebat.*

vel etiam male praecinctum prodire, semper probrosum fuit. Hinc *discinctus nepos* apud Horatium Epod. I. Id vero totum de uno modo laticlavia (quam e vestigio producemus) acceptum ne esto; quippe cum eam distinctam geri consuetudo tulerit (8).

Ac de vulgari Tunica haec sunto. Ad singularia nunc genera veniamus.

II. TVNICA LATICLAVIA et ANGVSTICLAVIA, quarum alteram senatorum, alteram equitum fuisse enuntiavimus Part. I. in de Ordinibus. civ. Rom. id praecipuum habuere, quod illa lata, haec angusto clavo (vel, si ita malis cum Rubenio, duobus (9) angustis clavis) ornata erat. Fuit autem Clavus non plane aliud, quam (ut ibidem retulimus) quadrata oblonga linea veluti quaedam fascia, purpurea, tuni-

---

(8) Luculenta admodum, unde hoc clareat institutum, verba sunt Fabii XI. 3. *Cui lati clavi ius non erit, ita cingatur, ut tunicae prioribus oris infra genua paullum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant . . . Latum habentium clavum modus est, ut sit paullum cinctis submissior.* Itaque cum laticlavii cinctu non uterentur, ab ea causa fuit, cur de Iulio Caesare a Suetonio 45. tanquam abnorme proderetur: *Etiam cultu notabilem ferunt. Visum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam super eum cingeretur.*

(9) Quintiliani locus quem proxima adnotatione attulimus, ea insuper affert, e quibus non inepte coniici posse videatur, angusticlaviorum tunicam non uno tantum fuisse clavo instructam. Postquam enim dixit: *Cui lati clavi ius non erit, ita cingatur, etc.* tum statim subdit: *Vt purpurae recte descendant, levis cura est.* Ac mox simili ratione ita tunicam eidem hominum generi componendam mouet *ut purpurae recte cadant.* Is igitur auctor angu-

cae vel intexta, vel adsuta (10), atque a summa ad imam eius oram per medium pectus protenta. Rem, quae diu doctissimorum virorum ingenia torserat (11), tam enucleate tandem explicavit, tamque validis firmavit argumentis

---

sticlaviis *purpuras* numero multidudinis attribuit, eum contra apud quemcumque de laticlaviis sermo est, nunquam non *purpura*, aut *clavus* singulari numero proferatur.

Atque hinc maxime ansam sumpsit Rubenius I. de re Vestiar. 8. binos clavos angusticlaviorum tunicae assignandi: quod tamen praeterea firmat, cum testetur, se in aliquot priscis monumentis tunicas tot plane clavis ornatas inspexisse.

(10) Vtrumque in consuetudine fuisse positum, ut clavi tunicis alias insuerentur, alias intexerentur, liquet tum ex Vlpiano de aur. et arg. leg. l. vestimentum, tum ex Festo v. *Clavata*.

(11) Variae admodum, quae hunc pertineant, eruditorum sententiae exstitere.

Rati quidam fuerunt, Clavos fuisse in vestibus intextos flores. Verum haec opinio facile per id revellitur, quod floridis vestimentis non alii, quam delicatiores, aut vero etiam servi, utebantur: cum tamen Clavi, de quibus heic agitur, honestiorum civium essent, et quoddam diversorum ordinum διακριτικόν. Quo etiam illud adde, vix uno, aut ad summum altero clavo ornari tunicas consuevisse; at quae indumenta flores habebant, ea ingentem horum copiam prae se tulisse.

Alii Clavi sunt fibulae, aut globuli aurei, purpureive, queis tunicae connecterentur. Huic vero sententiae non suffragantur vetera monumenta, nil tale in statuis togatis repraesentantia.

Nonnulli porro Clavum plagulam esse crediderunt, quae imposita humeris in pectus demitteretur. At contra stant scriptorum vetustae aetatis testimonia, per quae scitum est Clavos fuisse tunicis insertos.

Aliorum opinio tulit; fuisse Clavum non aliud, quam fasciam, seu limbum extremae tunicae praetextum. Eam vero, praeter alia, quae mox subiicientur, illud evertit,

Albertus Rubenius, nullum ut amplius dubitationi locum reliquerit. Horum autem argumentorum contractam in pauca summam, si noscere aveas, infra positam reperies (12).

III. Tunica palmata, praeter unam formam,

---

quod et Latini vulgo clavatas vestes a praetextis distinguunt, et Graeci illas μεσοπορφύρους, has autem περιπορφύρους appellant.

Postremo plurimi eo concessere, ut dicerent, Clavos fuisse bullas e purpura ad capitum clavorum instar, tunicis intextas. Verum eiusmodi bullas plures esse oportuit, non unam, aut duas, quot Clavos exstitisse constat.

Atque his quidem, aliisque rationibus, quas hunc con ferre necesse non est, alienas proposita de re sententias refutat Rubenius I. de re Vestiar 1.

(12) Postquam laudatus auctor, quidquid caeteri de Clavo senserant, diruit tum vero suam constituit opinionem, ut Clavus idem omnino fuerit, ac purpurea quaedam fascia seu linea, quae tunicam veluti mediam percurreret. Atque ad id probandum hoc potissimum utitur argumento.

Vestes clavatae Graecis dictae μεσοπόρφυροι fuere, eodem scilicet pacto, quo tunica Regis Persarum appellata a Xenophonte est μεσόλευκος. At haec certe non alia de causa hoc nomine appellata fuit, nisi quod mediam alba linea permearet: de qua propterea haec profert Curtius III. *Cultus regius inter omnia luxuria notabatur: purpureae tunicae medium albo intextum erat.* Hinc eamdem μεσολεύκου appellationem impertiti Graeci sunt cuidam tum floris, tum gemmae generi, per cuius utriusque medium alba itidem linea ab uno ad alterum caput decurrebat. Ac de flore quidem ita Plinius XXVII. 11. *Mesoleucos flos, cuius per medium folium candida linea transcurrit.* Tum de gemma Idem XXXVII. 4. *Mesoleucos est, mediam gemmam candida distinguente linea.* Vbi etiam, quod et ad rem facit, statim subditur: *Mesomelas, nigra vena quemlibet colorem secante per medium.* Itaque si μεσόλευκος ex ipsa rei natura merito audiit vel tunica, vel flos, vel gemma, cuius medium albo veluti tramite discriminabatur; ac denique μεσομέλας gemma, quam mediam nigra virgula interse-

quae eadem ac consuetae tunicae fuit, reliqua omnia cum toga cognomine, de qua supra, habuit communia: nimirum, aeque ac illa, purpurea fuit, intextis pictisve auro palmis insignita, et triumphatorum propria. Vide Livium XXX. 15.

. IV. Occurrit praeterea Tunica recta: cui non non quidem peculiare aliquod insigne, sed ea,

---

eabat: profecto quae tunica μεσοπόρφυρος dicta est, non al a esse debuit, quam cui per medium purpurea linea interiecta esset. Non igitur Clavus fuit, nisi purpurea fascia, sive linea, a summo ad imum tunicae deducta.

Confirmatur totum id praecipue ex eo quod Clavi, qui primitus nostrorum Diaconorum Dalmaticas ornabant, ab Alcuino et Remigio vocantur *virgulae,* ab Amalario et Honorio *lineae*, a Ioanne Diacono *zonae*, a Rabano *tramites.* Cui postremae nomenclaturae mirum quantum consonat appellatio, qua Clavi aurei feminearum vestium dicuntur *viae* a Tibullo II, 6. cum inquit:

Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Qua ipsa voce Servius ad VIII. Aeneid. 660. in virgatis Gallorum sagulis describendis est usus: *quae*, ait, *habebant in virgarum morem deductas vias.*

Adhaec toralibus quoque, mantilibus, mappisque adhibita vox *Clavus*, et *Clavatus* fuit, una ea de causa, quod haec omnia virgata esse solerent. Ita apud Martialem IV. 45.

Et lato variata mappa clavo.

E Lampridius in Alexandro Sev. 37. *Convivium*, inquit, *neque opiparum, neque nimis parcum, sed nitoris summi fuit; ita tamen ut pura mantilia mitterentur, saepius cocco clavata, aurata vero nunquam.* Postremo Marcellinus XVI. 8. lintea toralia commemorat, duos clavos latissimos habentia: quae ita porro ministrantium arte componebantur, ut clavis secum invicem cohaerentibus, et quidquid albi esset, infra latente, tota ipsa purpurea esse viderentur.

Atque haec ferme sunt, non parvi ea certe momenti quibus Rubenius suam de Clavo sententiam tuetur.

quam mox feremus, causa appellationem impertivit. Fuerunt sane, qui opinati sunt, ita dictam tunicam, quae discincta, nulloque intersecta vinculo, uno veluti ordine deflueret: qualem omnino Graeci χιτῶνα ὀρθοστάδιον (*tunicam erectam stantem*) nuncuparunt. At detur licet, id de aliis tunicis fieri potuisse, certe tamen quae vulgo *recta* dicebatur, quam scilicet tirones cum toga libera sumebant, longe aliunde nomen mutuata est. De qua re sic Festus: *RECTA*, inquit, *appellantur vestimenta virilia, quae patres liberis suis conficienda curant ominis causa, ita appellata, quod ASTANTIBVS, et in ALTITVDINEM TEXVNTVR.* Ei porro mirifice consentit Plinius VIII. 48. ubi sic narrat: *Ea prima* (Tanaquil, uxor Tarquinii Prisci) *TEXVIT RECTAM TVNICAM, quales cum toga pura tirones induuntur, novaeque nuptae.* Vnde per te colligas, eiusmodi tunicarum *rectitudinem* non a gestationis, sed a texturae ratione exstitisse.

Habes iam, quidquid de Tunica sciendum erat. Sed et his omnibus unum id postremo addatur, praeter exteriorem tunicam, interiorem alteram geri consuevisse, eamque pro viris *Subuculam*, pro mulieribus *Indusium*, appellatam: quae diutissime lanea, sero admodum linea esse coepit.

§. IV.

De Penula.

Vestis ad imbrium frigorisque incommoda propulsanda, atque ad iter unice olim habendum comparata, Penvla fuit. Palam id facit inter reliquos Cicero, cum sic scribit ad Att. XIII. 33. *Venit ad me, et quidem id temporis, ut re-*

tinendus esset, *sed ego ita egi*, *ut non scinderem Penulam*. Et mox: *Horum ego vix attigi Penulam; tamen remanserunt*. Adhaec pro Mil. 20 ubi de eo iter faciente sermo est: *Quid minus promptum ad pugnam*, *quam Penula irretitus?*

Verum aetate Principum etiam per urbem pluvio, aut hiberno tempore gestari incepit. Idque iam inde a Domitiani imperio passim obtinuisse constat. Quare non immerito notarunt critici falsum fuisse Spartianum, cum in Alexandro Severo 27. retulit: *Penulis intra urbem ut senes* (seu potius, ut legunt alii, *senatores*) *uterentur*, *permisit*, *cum id vestimenti genus semper itinerarium*, *aut pluviae fuisset*. Nimirum longe ante Alexandrum, ut modo dictum, per hiemem ac frigora in urbe adhibitae sunt Penulae: quod paullo post ex Martiale patebit.

Penulae formam ad togae structuram accessisse, e veteribus monumentis scitum est. Itaque et ipsa clausa fuit, et superne iniiciebatur, et totum hominem, exceptis modo capite, iugulo, mediisque cruribus, operiebat. Peculiaria vero ei fuerunt, tum quod, cum ad pectus conclusa esset, reliqua porro parte ad imum usque patebat; tum quod prae toga erat strictior, nec amplos ullos, quales illa, habebat sinus, licet suis rugis plicisque expers non esset. In primis autem, qua collum ambibat, erat angustior: itaque manus, brachiaque vel per modo memoratam scissuram, vel inferne per extremas allevatas oras exserere oportebat. Cucullo (13) nonnunquam etiam praedita haec vestis fuit.

---

(13) Quaecumque ad Cucullum spectant, ea Cap. sequenti notata invenies.

Iam is amictus saepe e pelle, maxime ad iter, confectus est. De hoc genere Mrtialis XIV. 128. ubi titulus: *Penula scortea :*

Ingrediare viam caelo licet usque sereno,
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

Neque rariores fuere e lana Penulae, aeque vel villosiore, frigorique arcendo aptiore, a qua ipsa *gausapinae* appellatae; vel brevioris villi, atque ad reiiciendum imbrem accommodatioris. De lana id genus Plinius VIII. 48. haec affert: *Apulae* (oves) *breves villo, nec nisi Penulis celebres: circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent.* Itaque *Canusinae* magni semper nominis fuerunt. Hinc inter argumenta quod *Canusinatis mulionibus* utebatur.

Quod ad Penularum colorem attinet, pro certo habetur, scorteas non alium, quam quem natura indiderat, prae se tulisse. In gausapinis quoque nativum servatum fuisse, ac propterea albas exstitisse declarat Martialis XIV. 143. cujus lemma: *Penula gausapina :*

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta,
Vt me vel media sumere messe velis.

Canusinis vero modo fuscus, modo rufus color inducebatur; quorum posteriore pueri milites que, priore universi reliqui uti solebant. Hinc Idem ibid. 127. quod inscriptum: *Canusinae rufae*:

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

Ex hoc interim tum huiusce vestis usum jam Romana in urbe (quod supra indicavimus) ea tempestate vulgatum, tum illud etiam noscas licet (quod ceteroqui ex aliis scriptorum locis

liquido elucet omnium omnino ordinum aetatumque Penulam fuisse: a qua induenda ne ipsae quidem feminae excludebantur. Id demum de hoc indutu memorare ne pigeat, ita vulgo ab eruditis credi, eumdem hunc fuisse, qui in Christiana olim republica ad sacrum faciundum adhiberetur (14).

---

(14) Attulit in medium hanc sententiam vir incomparabilis, omnique laudum genere dignus Carolus Baronius ad annum Christi 58. eamque pluribus ex antiquitate petitis testimoniis constabilivit, quam certatim deinde alii secuti sunt. Certe, vel si caetera deessent omnia, ipsa veterum Christianorum monumenta, ubi sacrae vestis vicem Penula fungitur, toti rei comprobandae satis forent. Atque ab ipsius quidem vestis forma emanasse credita sunt *Casulae* et *Planetae* vocabula, quae posterior aetas ad eamdem designandam conformavit. Itaque de illorum altero scripsit Isidorus XIX. 24. *Casula est . . . . a cusa, quod hominem totum tegat.* Ad hoc *Planeta ἀπὸ τοῦ πλανᾶσθαι* (*ab errando*) dicta est, quia, ut Idem loquitur, *oris errantibus vagabatur*; quippe cum illius lacinias, dum sacrum fiebat, modo brachiis subduci, modo deorsum reiici pro varia caeremoniarum ratione necesse foret. Idque plane causa fuit, quare postea, ut commodior eius vestimenti usus ad rem sacram fieret, scindi paullatim imminuique lateribus, qua liberius brachia exsererentur, occoeperit; donec ad hanc tandem, quam conspicimus, formam deveuit. Quod antem antiquitus ad Missae sacrificium Penula potissimum fuerit adhibita, mirum non est; quandoquidem ad hoc non alia tunc veste, quam forensi, uti solebant, quae id aetatis Penula plerumque erat.

Quoniam vero huc dicendo evasimus, abs re non erit, unum alterumve verbum adiicere de Penula, quam Paullus relictam Troade sibi a Timotheo deferri postulat. II. Tim. 4 Ea quid rei fuerit, varie sensum est. Baronius ibid. post relatam nonnullorum veterum opinionem, qui eam librorum thecam fuisse rati sunt, eo tum ipse in-

§. V.

De Sago, Clamyde, Paludamento, Lacerna, et Laena.

Quas huc plures simul congerimus vestes, SAGVM, CHLAMYDEM, PALVDAMENTVM, LACERNAM et LAENAM; eas omnes ad Pallii, Graecanici habitus, instar confectas fuisse novimus: nisi quod hoc amplum admodum fusumque ad talos usque descendebat, totumque ambitu suo circumcingebat hominem; illae vero breviores arctioresque erant. Caeterum ipsae, perinde plane ac pallium, apertae fuerunt; ubi autem corpori iniectae essent, fibula in dextro plerumque humero innectebantur. Idque generatim de universis esto: ad singulas nunc intuendas veniamus.

I. SAGVM, non secus ac pleraeque ex his aliae, vestis militaris fuit. Vnde sollemnia sunt illa apud scriptores, cum de bellis agitur: *Ire ad saga; Saga sumere; Esse in sagis.* Ita in

---

clinat, ut ex antiquorum coniectura arbitretur, Legis volumen per eam vocem ab Apostolo designari. Verum contra staut alii, in primisque tum Donius, tum Bartholinus in de Penula, qui Chrysostomum et Theophylactum secuti contendunt, non aliud Paullum, quam vestem ipsam adversus imbres frigusque gestari solitam, significasse. Et sane non obscure id indicare videntur eiusdem Doctoris verba, quae sub epistolae finem posita sic habent: *Festina ante hiemem venire:* unde illud colligatur quo tempore ipse profectus erat, utpote aestivo, vestem nulli tum sibi futuram usui reliquisse; quam deinde instante hieme flagitabat.

Liviana Epitome LXXII. *Italico bello populus SAGA SVMPSIT.* Quibus verbis tota urbs sagata, et ad pugnandum semper parata ostenditur. Quod ipsum narrans Paterculus II. 16. inquit: *Iam varia, atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum ad SAGA IRETUR, diuque in eo habitu maneretur.*

Talem autem is amictus formam habuit, qualem paullo ante designavimus. Itaque, ut hoc iterum inculcemus, apertus ille fuit, ac praeterea ad genua fere demissus.

Materiam sagis eadem, quae caeteris tunc temporis vestimentis, suppeditavit lana; selectior tamen ac nobilior pro centurionibus aliisque ordinum ducibus, vilior crassiorque pro gregario milite: quae res tanti erat, ut vel per id alteri ab alteris distingui possent, praesertim etiam cum illi pexis plerumque sagis, hi longo usu detritis uterentur. Hinc liquet, quid sibi velit Livius VII. 34. cum sic narrat: *Haec omnia tribunus sagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent, perlustravit.*

Fuisse vero saga albo colore, peraeque ac Graecorum chlamydes, in dubium non revocatur, cum imperatorium tantum, quod idem fuit ac paludamentum, purpureum esset.

II. Chlamys ipsissimum erat sagum, duplici appellatione idem vestimentum designante. Et quanquam ea voce Graeci maxime usi sunt, nonnunquam tamen Latini quoque id nomen tum ad sagum, tum etiam ad paludamentum indicandum adhibuerunt.

Animadvertendum vero heic illud datur, a Graecis chlamydem tunicae ac thoraci imponi consuevisse, atque ubi dimicandum erat, colle-

ctam laevo brachio advolvi. Quem ipsum morem servasse Romanos in sagis, credi queat.

III. Palvdamentvm, quod proprie imperatorum erat, eo uno, quod ad formam attinet, a sagulo distabat, quod longius latiusque esset, caetera porro ei simillimum. Ex quo ortum fuit, ut non raro alterum pro altero poneretur. Hinc facit, quod Livius I. 26. sagum manipularis militis Curiatii *paludamentum* appellat; et quod consulum praetorumve in provincias proficiscentium lictores, qui non nisi sagati erant, *paludatos* vocat XLI. 10. et XLV. 39. Rursus vero XXX. 17. haec habet: *Munera, quae legati ferrent regi* (Massanissae), *decreverunt, sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis*: ubi procul dubio de paludamentis sermo est.

Quod superest, colore a militari sago imperatorium paludamentum alienissimum fuit, cum illud album esset, hoc purpureum, vel coccineum; id quod millenis veterum testimoniis certum est. Hinc Hirtius VIII. Bell. Gall. 88. narrat: *Eius* (Caesaris) *adventu ex COLORE VESTITVS cognito . . . . hostes committunt praelium.*

IV. Lacernam ad milites quoque pertinuisse aperte indicat Propertius IV. 3. cum canit:

Texitur haec castris quarta Lacerna tuis.

Et cum huius quidem esset generis, nihil prorsus a chlamyde discrepasse creditur.

Verum cum postea per bellorum civilium motus in urbem invecta, atque ad communem consuetudinem paullatim traducta, contra frigus imbresque usurpari passim coepisset; tunc demum aliquid ad pristinam sui rationem adiectum habuit. Itaque licet pro militibus etiam tum, aeque ac chlamys, nec infra genua decurreret,

nec homini circumvolvendo par esset; pro reliquis tamen fusior atque amplior facta est, quo opportunam opem adversus temporum iniurias afferre posset.

Qua eadem de causa non uni modo tunicae (quod et fiebat), sed etiam togae inducebatur. Hinc apud Martialem epigramma XIV. 135. cui titulus: *Lacernae albae*:

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra Lacerna togas.

E lana crassiore confectus est is habitus. Quod tamen perpetuum non fuit: etenim leviorem omnino esse oportuit, qui diebus aestivis ornatus gratia gestabatur: quem morem etiam invaluisse testatur Iuvenalis I. per haec dicta:

Crispinus, Tyrias humero revocante Lacernas,
Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum.

Non uno eadem vestis usurpata colore fuit; quod vel ex allatis exemplis patet. Fuit igitur illa (praeter pauperiorum pullam) tum alba (qua semper usus miles), tum purpurea, tum rufa. A quo postremo coloris genere dicta quoque illa aliquando fuit *Birrus*, sumpta a Graeco πυῤῥός (*rufus*) nomenclatura.

V. Laena (quae ferme instar lacernae erat) regum olim Romae teste Plutarcho in Numa gestamen fuit, quemadmodom heroum apud Graecos Chlaena, quae nihil ab illa discrepavit. Eapropter amictum Laena inducit Aeneam Maro IV. Aeneid. 262.

. . . . . *Tyrioque ardebat murice Laena*
Demissa ex humeris.

Deinde Flaminum, cum sacris operarentur, facta est propria; id quod docuit Tullius in Brut.

14. Tandem ad universorum usum translata, et vulgo caeteris vestibus ad arcendum frigus iniecta. Hinc Martialis epigramma XIV. 134. inscriptum, *Laena*:

> *Tempore brumali non multum levia prosunt:*
> *Calfaciunt villi pallia vestra mei.*

Quare et in coenis hiemali tempore usurpari solebat. Morem hunc ostendit e reliquis illud Persii I.

> . . . . *Ecce inter pocula quaerunt*
> *Romulidae saturi, quid dia poëmata narrent*
> *Heic aliquis, cui circum humeros hyacinthina Laena, etc.*

§. VI.

De Stola, et Palla.

Reliquum est, ut de mulierum vestibus Stola et Palla extremo hoc loco pauca attexamus.

I. Stola, Romanae matronae maxime utebantur: ex quo factum, ut nonnunquam ipsum huius vestimenti nomen pro matronis ipsis poneretur. Hanc loquendi formam secutus est prae reliquis Valerius Max. V. 2. 1. ubi de subsidio per Coriolani matrem Veturiam uxoremque Volumniam periclitanti patriae praestito agens, refert postremo confessos patres esse: *plus salutis reipublicae in Stola, quam in armis fuisse.*

Fuit autem haec vestis tunica talaris, ac manuleata; quae postquam imposita erat, zona cingebatur. Eam totam purpuream tum instita imae orae adsuta, tum segmina aurea (scilicet fasciae seu virgae, uti nonnulli explicant) passim disposita exornabant. Liquet id potissimum e narratione ejusdem Valerii Max. I. 1. qua senatus Romanus iam antiquitus matronarum ordini permisisse dicitur *purpurea veste, et aureis uti segmentis*. Ex quo illud etiam sequitur, matronas ante hanc sibi factam copiam Stolis plane vulgaribus usas esse.

Hae vero alterius gradus Stolae, *plebeiae* a Propertio II. 19. appellatae, quales omnino fuerint, compertum non est. Opinatur tamen Rubenius I. de re Vestiar. 17. albas eas fuisse, aureo tantum limbo insignitas.

Vnum modo de Stolis hoc addatur, eas apud exteras gentes non solum feminarum vestimentum, sed etiam virorum, ac maxime principum, exstitisse.

II. Palla quoque muliebris amictus erat, quae ipsissimam pallii formam referens stolae iniiciebatur. Itaque apud Livium XXXVII. 4. Senatus Romanus domo mittit Ptolemaeo regi *togam et tunicam purpuream*: *reginae* (Cleopatrae) *Pallam pictam*

Ex quo loco patet simul, eiusmodi nonnunquam vesti illitum phrygionum opere aurum fuisse. Talem etiam exhibet Maro I. 652.

. . . . . *Pallam signis, auroque rigentem*

Et talem ferme usurpabant citharoedi, tragoedi et saltatores, quorum omnium item fuit Pallam induere.

At quonam colore, quibusque ornamentis

praeditam gestarint Romanae mulieres, exploratum non est.

Haec autem, quae hactenus, de Romanorum Vestibus sunt.

CAPVT II.

De Capitis Tegumentis.

Nemini iam notum non illud est, Romanos, more a Graecis desumpto, aperto fere semper fuisse capite. Verum quoniam certa erant tempora, certaeque causae, queis et ipsi (ut loco patebit) caput cooperirent, idcirco exstitere apud eos, et quidem varia, eiusdem integumenta.

§. I.

De Toga Caput Operiente.

Priusquam ad ea capitis tegumenta veniamus, quae ad id unum excogitata sunt, illam paucis consuetudinem persequamur, per quam caput imposita toga, videlicet superiore eius parte, quae insidebat humero, rursum allevata obtegi

assolebat. Hunc morem indicant plura scriptorum loca. At prae reliquis mirum quantum valet una Plutarchi auctoritas, qui (in quaest. Roman. 10.) in hanc sententiam loquitur: *Romani, si cui obviam facti sunt, cui honos habendus, et si forte caput veste iniecta tectum habeant, id revelant.*

Id autem diversis de causis fiebat. Primum, ut se ab aeris inclementia tuerentur. Deinde, ut animi aegritudinem in aerumnosis rebus patefacerent, et se quasi lucem perosos significarent. Quare Caesar, referente Suetonio 82. *ut animadvertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit* (15).

Postremo haec eadem ratio servabatur in faciendis sacris; quippe cum haec (nisi quando Saturnum, Honorem, aut Herculem spectarent)

---

(16) Eodem referendum est illud Horatii II. Sat. 3.
Nam male re gesta cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit.

Huius autem consuetudinis ab Oriente originem repetas licet. In veteri quidem Foedere II. Reg. 15. 30. haec leguntur: *Porro David ascendebat clivum olivarum, scandens, et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite: sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite incedebat plorans.* Neque vero in luctu tantum apud illos populos obnubi caput solebat, sed et ubi probrosum aliquod obvenisset. Hac ratione Ieremias 14. 4. inquit: *Confusi sunt agricolae, operuerunt capita sua.*

Romae vero obtinuit etiam, ut qui gravissimi alicuius criminis damnati essent, iis ad supplicium iam ducendis caput obtegeretur, tanquam quos luce indignos iudicarent. Testantur id verba Tullii V. Ver. 60. *Capitibus involutis cives Romanos ad necem producere instituit.* Quare celebre fuit horrendum illud carmen: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito.*

non aliter, quam operto capite peragerentur. Itaque apud Livium X. 7. ubi de pontificatus auguratusque iuribus sermo est, haec habentur: *Conspiciatur cum capide ac lituo, capite velato victimam caedat.* Atque hinc Spartianus in Hadriano 26. unum e mortis eius praenuntiis signis fuisse scribit: *quod natali suo ultimo, cum Antoninum commendaret* (scilicet Diis, rem divinam faciendo), *praetexta sponte delapsa caput ei aperuit* (16).

Huius autem religiosi ritus hanc cumprimis causam prodit Plutarchus (Quaest. Rom. 10.), ne quid sacrificanti occurreret, per quod mens a praesenti muneris functione alio averteretur. Id ipsum declaravit Servius ad illud Maronis III. Aeneid. 405. ubi per eadem sensa sic ab Heleno monetur Aeneas:

Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes,
Et positis aris iam vota in litore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, et omnia turbet.

(16) Sinistrum admodum habebatur, si quid infer sacra, aut in templo cecidisset; quod dictum *Auspicium caducum*. De eo sic Festus, *Auspicium caducum dicebant: cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu.*

§. II.

De Pileo.

I. Inter universa, quae capiti obnubendo adhibuere veteres, praecipuum locum PILEVS obtinuit. Ei nomenclaturam Graeca vox πῖλος fecit, cum et haec (ducta a πιλεῖν *densare* origine) *coactilia* denotaret, et ille e coacta lana conficeretur.

Eam ipse formam prae se tulit, ut nec ulla ora ambiretur, et plane rotundus galeae instar esset.

II. Hoc capitis tegmen gestare moris erat Saturnalibus: quod sic indicat Martialis XI. 7.

Permittis, puto, Pileata Roma.

Cuius instituti ea causa fuit, quod per eos dies liberrime viveretur (17), Pileus vero libertatis esset insigne (18).

---

(17) Celebre fuit libertatis nomen, quae olim Saturno regnante, nulla adhuc invecta servitute floruisse dicebatur. Eius imaginem ut Saturnalibus Romana gens referret, prolatis rebus vitam omni curarum genere exsolutam ducebat.

Servis vero in primis non minimum licentiae et impunitatis erat; quibus etiam cum ipsis dominis discumbere in conviviis dabatur. Hinc Horatius II. Sat. 7. ita servum alloquitur;

. . . . *Age, libertate Decembri*

(Quando ita maiores voluerunt) utere, narra.

(18) Posset non incommode, ut opinamur, is pileorum usus, qui Saturnalibus viguit, eo referri, quod per eos dies plerumque conviviis daretur opera; unde et factum; ut synthesi, coenatoria veste, assidue tunc uterentur. Pileum autem ad coenas quoque pertinuisse, paulo post dicetur.

III. Propterea servi post obtentam libertatem detonso capite (19) Pileum sumebant. Unde est illud Plauti Amph. I. 1.

Vt ego hodie raso capite calvus capiam pileum.

Ex qua sollemni consuetudine ortum habuit illa dicendi formula: *Ad pileum vocare*; quod idem erat, ac libertate donare. Ita apud Livium XXIV. 32. *Postero die servi AD PILEVM VOCATI.* Eadem de causa *Pileus* pro libertate positus nonnunquam est, ut in Martialis XI. 48.

Totis Pilea sarcinis redemi.

Quo etiam spectavit imago Pilei in nummo, Cassii Brutique opera post caedem Caesaris cuso, inter duos pugiones posita cum hoc epigrammate, IDIBVS MARTIIS; quo scilicet die per illius necem respublica in libertatem vindicata esset.

IV. Ex his habes, Pileos tum vulgo ab omnibus per Saturnalia, tum a servis libertatem assecutis fuisse usurpatos. Sed praeterea eorumdem usus in conviviis, etsi non perpetuus, non tamen insolitus fuisse videtur. Indicat certe Flaccus I. Epist. 13. cum canit.

. . . . *Ne forte sub ala*
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
Ut cum Pileolo soleas conviva tribulis.

V. Senes quoque atque aegri, ad imbecillae vel aetatis, vel valetudinis praesidium Pileos,

---

(19) Quare servis in libertatem assertis caput radere mos esset, aperit Nonius XII. 36. cum ait: *Qui liberi fiebant, ea causa calvi erant, quod tempestatem servitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati solent.* Et certe qui e naufragio emerserant, detonsam comam Diis marinis consecrabant, quasi quibus vitam referrent acceptam.

si non semper, at aliquando adhibuisse creduntur.

VI. In militia denique Pileos e villosis ovium pellibus, qui *Pannonici* dicti, usurpatos esse testatur Vegetius I. 20. eamque huius instituti affert rationem, ut assueto militi caput semper habere opertum gravis inde in praelio galea non fieret.

§. III.

De Petaso,

Et Pileo Thessalico.

I. Hac una re a pileo diversum exstitisse Petasvm accepimus, quod is ad solem imbremque prohibendum latos circa margines haberet: unde et nomen ei arcessitum, quod est a πετάννυμι, *extendo*. Erat hic quidem peregrinantium proprius: id quod summopere declarat Tullii locus XV. Fam., 17. ubi de tabellariorum festinatione conquerens: *Sed petasati*, inquit, *veniunt: comites ad portam exspectarè dicunt.* Eodem porro refer Mercurii petasum.

II. Huic capitis tegmini per omnia, excepto nomine, par fuit Pilevs Thessalicvs. Atque hinc factum, ut folium fabae Aegyptiae, quod a Dioscoride (II. 128.) petaso comparatur, idem a Theophrasto (Hist. plant. IV. 10.) Thessalico pileo aequipararetur.

Ad eumdem quoque usum, ad quem petasus erat, comparatum hunc fuisse pileum patefacit Dio p. 645. sic narrans: *Tunc primum . . . usus*

pileorum Thessalicorum concessus in theatris, ne solis ardore laborarent.

§. IV.

De Galero.

I. Non aliunde suam GALERO appellationem, quam a galeae forma, quaesitam testatur Festus. Id autem commune ei cum paucis capitis tegumentis fuit, quod e pelle fieret. Hoc pacto apud Maronem VII. Aeneid. 688.

. . . . *Spicula gestant*
Bina manu, fulvosque lupi de pelle Galeros
Tegmen habent capiti.

Vsum is igitur, ut hinc elucet, levis armaturae militibus praebuit, cum reapse a velitari galea (de qua dictum Part. I. p. 222.) nil admodum discreparit. Quod si eum alicubi Mercurio tributum compereris, ne dubites credere *galerum* ibi pro petaso positum, cum nomen ipsum, quin ita fieret, non obstiterit, quippe quod accipi latius aliquanto potuerit.

II. Adhaec appellata *Galerus*, vel *Galericulus* fuit fictitia coma, quam pellis humanis crinibus instructa formabat. Hinc apud Avienum Fab. X.

Nam mox deiecto nituit frons nuda galero,
Discolor apposita quae fuit ante coma.

Eiusmodi fictitias comas adhibere potissimum solebant vel ad calvitiem celandam, vel ad personam dissimulandam. Quare Suetonius de Othone 12. *Galericulo*, inquit, *capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo, ut nemo*

dignosceret. Et de Nerone 26. *Post crepusculum statim arrepto pileo, vel galero, popinas inibat.* Quod ipsum referens Dio, illum ait, ut se sic occultaret, κόμαις περιθέτοις (*comis circumpositis*) usum fuisse.

§. V.

De Apice, Tutulo,

Et Albogalero.

Fuere Flaminibus peculiares pilei attributi, APEX, TVTVLVS, et ALBOGALERVS.

I. Ad APICEM quod attinet, erat id quidem eius praecipuum, ut in summo fixam haberet virgulam aliquantulo lanae circumligatam, quae proprie *apex* dicta, et ex qua toti ipsi pileo nomen inditum. Iuverit de eo audire Servium sic ad X. Aeneid. 270. verba facientem: *Dicitur apex virga, quae in summo pileo Flaminum lana circumducta et filo colligata erat: unde etiam Flamines vocabantur. Hoc autem nomen a veteribus tractum est: apere enim veteres ritu Flaminum alligare dicebant; unde apicem dictum volunt.*

Huiusemodi pileum Flaminibus, cum sacris operarentur, deponere fas non erat. Vnde lux affunditur narrationi illi Valerii Maximi I. 1. 4. *At sulpitio inter sacrificandum apex prolapsus eidem sacerdotium abstulit.* In primis vero Flamen Dialis non modo cum sacrum faceret, sed quovis tempore sub dio esse sine Apice non pote-

rat, licet sub tecto illum ponere non vetaretur, uti refert Gellius X. 15.

II. Idem porro Flaminum pileus, qui Apex dictus, TVTVLVS etiam nuncupatus fuit. Satis id constare videtur ex Festo, qui haec de eo eloquitur: *Tutulum quidam vocari aiunt pileum lanatum, forma metali figuratum.* En quibus ille verbis Tutulum describit, quibus non aptiora ad Apicem deformandum adhibere potuisset; ut inde appareat, bina ea fuisse nomina idem plane significantia. Eodem quoque recidit, quod effert Varro VI. L. L. 3. *Tutulati dicti sunt hi, qui in sacris capitibus* (sive ut legit Scaliger, *apicibus*) *habere solent ut metam. Id Tutulus appellatur.* Nimirum cum vox *Tutulus*, non secus atque *Apex*, proprie fastigium illud e Flaminico (sed vero etiam Pontificio) pileo eminens denotaret, toti postea pileo significando aptata est. Vniversam autem nominis huius rationem, unde et res magis confirmatur, enucleatam tradidit his dictis idem Varro ibid. *Tutulus appellatur ab eo, quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis . . . . dicunt tutulos, sive ab eo, quod tuendi causa capilli fiebant, sive ab eo, quod altissimum in urbe quod est, ea res tutissima tutulus vocatur.*

III Notari vero dignum in hoc genere illud est, pileum Flaminis Dialis peculiari appellatione ALBOGALERVM audiisse, ea scilicet de causa, quam Festus (v. *Albogalerus*) prodidit: *Fiebat enim ex hostia alba Iovi caesa.*

§. VI.

De Cucullo.

Vltimam hanc inter capitis operimenta sedem Cucullo damus; qui a Graeca voce κόκκυς, *galeam* vel *galerum* denotante appellationem videtur mutuatus. Fuit is quidem forma olim, quali etiam hodie, oblonga et acuminata. Peculiare quoqne habuit, ut non caput modo, sed scapulas etiam velaret. Itaque ad imbrium frigorisque vim maxime valuit.

Non semper autem ille a veste fuit seiunctus, sed et non raro ipsi adnexus, in primisque penulae; quod iam in de Vestibus §. 4. significavimus. Quare cucullata quoque saga exstitere; quorum mentionem facit e reliquis Columella XI. 1. ubi *cuculli sagati* (fortasse mendose pro *cucullatis sagis*) leguntur. Fuere haec autem nihil prorsus absimilia iis vestibus cucullo instructis, quas hac etiam aetate a nostris sive nautis, sive pastoribus, sive praeterea aliis gestari conspicimus. Eiusmodi porro saga *Bardocuculli* simul, necnon *Cuculli Bardaici*, sive (ut alii sentiunt) *Bardaici* vocata sunt, ea (quam potiorem credimus) de causa, quod Bardis Galliae populis originem praecipue suam deberent. Et sane e Gallicanis oris eum amictum advehi suevisse, sat luculenter arguit Martialis XIV. 128. in haec verba locutus:

Gallia Santonico vestit te bardocucullo.

Ad servos potissimum, infimaeque notae ho-

mines Cuculli pertinuerunt. Vnde etiam arcessitur una reliquarum ratio, quare veteres Monachi eos sibi adsciverint, non modo scilicet ut vel se a frigore tuerentur, vel parvulorum simplicitatem habitu prae se ferrent, quippe cum puerulorum quoque id tegmen aliquando fuerit; sed etiam ut vestium vilissima ad caducarum rerum contemptum utenda sumerent.

Verum iam apud Romanos non omnino unum servile atque abiectum genus, sed nonnunquam ingenuos simul, praesertim ad se occultandos, cucullis fuisse usos explorata res est.

CAPVT III.

De Conviviis.

Dvplicem fuisse rationem Conviviorum, dici iure posse propterea videtur, quod alia publica, alia privata exstiterunt. Ac publica quidem illa erant, quo aut multa pars populi, aut universa multitudo vocabatur. Huius fuere generis, quae a consulibus designatis senatorio atque equestri ordini parari solebant; uti patet ex Plinio XIV. 15. et Vopisco in Aureliano 12. Praeterea quae a belli duce triumphum acturo cunctis vulgo praebebantur; quae singulari nomenclatura *Coenae triumphales* nuncupata, teste eodem Plinio IX. 55. Denique illa, quae vel ludorum, vel dedicationum, vel aliarum celebritatum causa agebantur. (Vid. Liv. XXXIII. 42.)

Quae sane universa convivia, ad quae habenda amplo admodum loco opus erat, in Capitolii plerumque porticibus celebrari sollemne fuit.

Privata porro erant, quae domestico more inibantur inter amicos. De his modo sermo a nobis instituetur; cum de prioribus illis nihil ultra peculiare adeo emineat, ut in eo immorari diutius necesse sit.

§. I.

De Loco, et Tempore Conviviorum.

I. Privatarum aedium locus, ubi coenitabant Romani, appellatus a re ipsa *Coenaculum*, *Coenatio*, ac *Triclinium* est. Atque haec certe communia fuere nomina. Sed et singulare porro aliud, ab aliquo petitum nomine, eidem indere non rarum fuit. Itaque celebre est Luculli triclinium nuncupatum *Apollo* apud Plutarchum in eius vita

Constitutum autem coenaculum fuit primitus in ima domo; tum ad superam translatum. Idque in causa fuit, quamobrem tota tandem summa illa aedium pars, ampliata appellatione, *Coenaculum* vocaretur. De qua re sic Varro VI. L. L. 33. *Ubi coenabant*, inquit *Coenaculum vocitabant. Posteaquam in superiore parte coenitare coeperunt, superioris domus universa, Coenacula dicta* (20).

Non una vero tantum coenatione Romani vulgo homines contenti erant, cum quisque ferme,

---

(20) Ex hac altera *Coenaculi* notione pronum est cognoscere, quid sibi velint universa illa scriptorum loca,



Tom. II. pag. 46.

ni-
e-
l-
o-
a,

quo ea foret anni temporibus opportunior, tum aestivam, tum hibernam habere vellet. Eiusmodi morem prodidit Varro I. R. R. 13. his dictis: *Vt spectent sua aestiva tricliniaria ad frigus orientis, hiberna ad solem occidentem.*

Id porro ad pompam praecipuum in Coenationem invexit luxus, qui malo publico natus quolibet irrepere consuevit, ut illius lacunar quorundam machinamentorum ope pluries inter coenam immutaretur. Huc pertinet illud Senecae Epist. 90. *Qui versatilia coenationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, et toties tecta, quoties fercula, mutentur.*

II. Iam hora, qua convivia inibantur, occidentis fere solis erat, nimirum aestivo tempore nona, hiberno decima. Hinc Tullius IX. Fam. 26. scribit: *Accubueram hora nona, cum id li-*

---

ubi Coenacula a pauperibus habitata produntur. Nimirum in consuetudinem demum venerat, ut superae aedium partes inquilinis huius generis locarentur. Itaque Iuvenalis X. ut indicaret egenorum domos a Neronis ditiorum opibus inhiantis impetu fuisse tutas, inquit:

. . . *Egregias Lateranorum obsidet aedes*
Tota cohors: rarus venit in Coenacula miles.

Quoniam autem ad huiusmodi domicilia scalis ascendere necesse erat, hinc, ubi plura essent in una domo aliis alia superstructa coenacula, plures etiam scalae fore oportebat: unde et factum, ut nonnunquam ipso scalarum numero coenaculorum numerus designaretur. Hac ratione Martialis I. 118.

Et scalis habito tribus, sed altis

Ob hunc eumdem coenaculorum usum *coenaculariam ecere* dicti fuerunt, qui conducta coenacula tota aliis per partes elocando quaestum faciebant.

terarum exempla in codicillis exaravi. Rursus vero Auctor ad Herenn. IV. 51. *Visit triclinium stratum . . . . vos huc decima venitote.*

Cum igitur id esset vulgari consuetudine constitutum coenandi tempus, hinc quae convivia maturius instituerentur, *tempestiva* discriminis ergo dicebantur. Cicero IX. ad Att. 1. *Multa*, inquit, *a me tempestivis conviviis disputantur.* Et III. in Verr. 25. *Statuitur Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio* In quam ipsam rem illa quoque dicendi ratio: *De die convivari*, fuit adhibita. Hac ratione Catullus Carm. 47.

Vos convivia lauta sumptuose
DE DIE facitis.

E quibus universis locis illud praeterea paret, convivia huius generis non semper male audiisse: etenim ubi non inte erant, ut gulae largius indulgeretur, probro non vertebantur. Contra autem quae *intempestiva* dicta aliquoties occurrunt, ea quidem nunquam non in deteriorem partem accepta sunt, eo scilicet sensu, ut semper effusiorem edendi bibendique licentiam secum ferrent; licet, quod ad vim nominis attinet, utraque *tempestiva*, atque *intempestiva* unum idemque fuerint, quae nimirum sive ante, sive extra tempus inirentur. Illorum igitur eruditorum auctoritati non acquiescimus, qui eo tempestiva convivia ab intempestivis discrepasse asserunt, quod altera instituerentur temperius, altera longius protraherentur; etenim huius quidem generis sententiae non nimiopere antiquitas suffragatur. De his interim postremis sic facta habetur mentio apud Curtium V. 2. *Cum intempestivis conviviis dies pariter noctesque consumeret.*

Ex eo autem, quod relatum est, statam coenandi horam veteribus sub vesperam fuisse, ne

tandem id concludas, ante hoc tempus eos omnino cibo abstinuisse. Vulgatissima enim consuetudo fuit, ut circa meridiem aliquid eiusmodi sumerent, quo ruens stomachus fulciretur, id quod vocitatum *Prandium* est: quale prorsus significatur verbis illis Horatii I. Sat. 6.

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare.

Ad hoc alia duo diei tempora exstiterunt, quibus etiam per nonnullos esui dabatur opera, videlicet, matutinum et nocturnum. Mane, praeter pueros, helluones *Ientaculo* delectabantur: qui ipsi *Comissationi* praeterea vacare solebant, quae fuit post legitimam altera coena ad multam noctem producta Quare Suetonius de Vitellio 13. narrat: *Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispartiebat, in Ientacula, et Prandia, et Coenas, Commissationesque.*

§. II.

De Discumbendi Ratione, Lectisque Tricliniaribus.

I. Is olim apud Romanos mos viguit, ut coenantes mensis assiderent. Quapropter ad illud I. Aeneid. 176.

Perpetuis soliti patres considere mensis;
sic Servius adnotat. *Maiores nostri sedentes epulabantur.*

Dein vero mutata ratio est, invaluitque, ut in lectis (*tricliniaribus* ob usum dictis), accum-

berent. Id autem ita fiebat, ut supera pars corporis in cubitum sinistrum prope mensam reclinaretur, infera retrorsum porrecta iaceret, dorsumque apposito pulvillo fulciretur, et (cum plures in uno lecto convivae essent) ut qui summum lecti locum occupabat, pedes ad dorsum ferme alterius protenderet, is vero occiput ad umbilicum prioris, pulvillo interposito, obverteret; ac sic deinceps reliqui disponerentur.


Ex qua discumbendi ratione duo praecipue, praesens datur noscere. Primum, quam apte Horatius I. Sat. 4. de conviva iam nauseante adeiecto, qui mox exquisitioribus propositis scitamentis ad edendum iterum assurgat, dixerit:

> *Languidus IN CVBITVM iam se conviva REPONET*:

siquidem non illi aliter, quam cubito innixi cibum capiebant.

Alterum porro longe gravioris momenti illud est, quonam pacto Ioannes Apostolus supra pectus Domini in coena recubuerit, quod refert Idem in Evang. 21. Nimirum cum Salvator noster hunc ipsum recumbendi morem per Iudaeam iam vulgo receptum ex communi consuetudine servaret: id quod vel solae illae τῦ ἀνακλίνεσθαι, et τῦ ἀναπίπτειν (*recumbendi*) voces saepius in Evangeliis de coenis usurpatae satis ostendunt; percommodum fuit dilecto Discipulo, qui infra Christum discubuerat, caput obrepente somno in sacrum eius pectus reclinare.

Sed et illud insuper observandum heic se praebet, cum altera lectorum pars mensae esset applicita, alteram porro ita parietem versus abiisse, ut inter hunc illamque tale spatium intercederet, quale ministrantibus circa servis necesse foret. Atque hinc (ne quae sciri digniora sunt,



neu
ras, n
Quo
ctorum
instar
ditur..
Stibad.

praese-
set ap-
abiis-
nterce-
necesse
sunt,

per nos omittantur) intelligas licet, quam facile potuerit Maria Magdalene in convivio Pharisaei accedere ad Dominum , et *stans RETRO SECVS PEDES eius , lacrymis . . . . rigare pedes eius.*

Iam lecti ipsi ternos plerumque convivas excipiebant ; inter quos honoratior ille habebatur , qui locum medium occuparet , post hunc qui summum. Nec raro tamen quatuor in quoque lecto convivantes erant : id quod diserte tradidit hoc versu Flaccus I. Sat. 4.

Saepe tribus lectis videas coenare quaternos.

II. Ad singulas mensas terni lecti plurimum aptari solebant ; quo ex numero locus ipse coenae *Triclinii* appellationem desumpsit : nonnunquam vero tantummodo bini , unde et *Biclinii* nomen , minus usu tritum , duxit originem.

Cum autem haec fuerit unica quondam ratio , ut plures circa mensam collocarentur lecti , posterior tamen aetas id etiam excogitavit, ut unus tantum lectus ei aptaretur , maior ille quidem , minorve , prout varia esset mensae magnitudo. Is praeterquam quod vulgo *Stibadium* (de cuius etymo postea) vocatum est , nomen quoque *Sigmatis* desumpsit a Graeca litera Σ , quae tunc temporis hoc pacto C deformari solebat. De eo locutus Martialis X. 48.

Septem Sigma capit : sex sumus , adde Lupum.

Idem lecti genus , ubi sex modo admittendis idoneum esset , praeter communes aliis nomenclaturas , *Hexaclinon* quoque Latine audiit.

Quod porro ad reliqua triclinarium horum lectorum attinet , e stramento , sive iunco funium instar torta constructos eos primitus fuisse creditur. Indicare id quodammodo videtur vox ipsa *Stibadii* , quae non perperam a Graecanico στιβὰ

deduci possit, quod *stramentum* sunt Glossae veteres interpetatae.

Postea aero e ligno communiter illi facti. Ac denique ambitiones vis non modo e lectissimarum quarumque arborum materia saepissime confinxit, sed etiam eburneos, argenteos, aureos aliquando paravit.

Cuiuimodi tamen iidem essent, stragula vulgo veste, sive toralibus sternebantur. Itaque a Tullio V. Tuscul. 21. de convivio, quo excepit Dionysius Damoclem, ita narratur: *Collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto.* Et Horatius I. Epist. 5. amicum ad coenam invitans ait:

> *Haec ego procurare et idoneus imperor, et non*
> *Invitus; ne turpe Toral, ne sordida mappa*
> *Corruget nares.*

§. III.

De Mensa.

I. Cum plures lecti mensam ambiebant, quadrata haec esse debuit, quo recta illorum latera lateribus huius commode aptarentur. At in stibadio, cuius arcuata erat figura, rotundam omnino eam adhiberi necesse fuit: unde enatum, ut saepe *Orbis* a Latinis appellata sit. Sive autem quadrata, sive rotunda foret, semper id in eius positione servabatur, ut, reliquas ipsius partes obeuntibus lectis, una ministraturis famulis libera vacaret.

Rotundae mensae vel tribus sustentabantur pedibus, vel uno; cuius postremi generis dictae

Monopodia fuere, ac longe prae prioribus illis maiore in pretio habitae. Huc respicit Horatii sermo I. Sat. 3.

. . . . Modo reges, atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo, sit mihi mensa tripes, et
Concha salis puri.

Quoniam vero eiusmodi mensarum fulcra non facile ditiores, nisi et ex ebore, et in alicuius animantis conformata imaginem patiebantur, idcirco Iuvenalis XI. inquit:

Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur
Unguenta, atque rosae, latos nisi sustinet orbes
Grande Ebur, et magno sublimis Pardus hiatu.

II. Materia quoque praestantes mensas sibi quaerebant copiosi homines. Quapropter cum pauperiores fagineis contenti essent, acernas illi, necnon eburneas parabant. Sed nec labentibus annis illud defuit, ut argenteae quoque, aureaeque in medium prodirent.

III. Iam mensam pro coenae usu *Manteli*, seu *Mantelo* (cum utroque modo efferatur) quodam nimirum gausape ad id comparato, sternere mos fuit. Hoc a *Mappa* plurimum distasse, optimum e re nata fuerit animadvertere. Scilicet haec non villosa, ut illud, quod laneum fuerit oportet; sed levis, utpote e lino, fuit, nec aliud quam tergendis manibus orique munus praestitit. Hanc praeterea quisque secum conviva ad privata publicaque convivia plerumque gerebat; illud a convivatore ipso apponebatur. Patet hoc ex illo Martialis XII. 29.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile e mensa surripit Hermogenes.

Verum mappas etiam a domino epuli fuisse interdum praebitas declarant satis verba Flacci I. Epist. 5. quae in fine §. superioris attulimus.

IV. Denique religiosa et sacra apud veteres mensa habebatur. Itaque adesse ei solebant quorundam Deorum imagines, qui propterea Θεοὶ ἐπιτραπέζιοι appellati. Ex horum numero fuit Hercules, de quo sermo est Statio IV. Silv. 2.

Haec inter castae genius, tutelaque mensae
Amphitryoniades.

§. IV.

De Tribus Coenae Partibus.

Vbi omnia ad coenam in promptu erant, convivae synthesi (21) amicti, floribus, frondibusve non raro redimiti, unguento caput (22) delibuti, positis soleis discumbebant.

Atque heic, antequam ad rem propositam accedamus, duplex convivarum genus notare proderit. Eorum alii ab epuli domino vocabantur;

---

(21) Coenatoria vestis, quae *Synthesis* vocata, ipsam plane pallii formam retulit. Vide dicta p. 4.

(22) Serta atque unguenta conviviis adhibita saepissime a scriptoribus memorantur. E reliquis ita per Flaccum II, Od. 3.

Huc vina, et unguenta, et nimium breves
Flores amoenae ferre iube rosae.

Et Od. 7.

Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

alios invocatos ducebant secum illi ipsi, qui invitati fuerant. Hos *Vmbras* appellari placuit, quippe qui, tanquam umbra corpus, alios consectarentur. De hoc genere locutus Horatius I. Epist. 5.

. . . . . *Locus est et pluribus Vmbris.*

Eis autem noli arbitrari similes ulla re fuisse Parasitos. Hi enim quaerendis cibis unice mancipati, ipsi suis iocularibus et adulatoriis artibus coenas captabant, inque aliena convivia irrepebant.

Verum iam coenae Missus inspiciamus. Tres prorsus hi erant (per quos coena ipsa tripartito dividebatur) *Antecoenium*, *Coena* (voce stricte accepta), et *Secundae Mensae.*

I. *Antecoenium*, sive *Antecoena*, quae et *Gustus*, et *Promulsis* vocata, praeter lactucas, olivas, lucanicas, in primis complectebatur ova. Qua de causa Venusinus poëta I. Sat. 3. ut coenae simul initium finemque indicaret, hac ratione est usus:

. . . . *Si collibuisset, ab Ovo*
Vsque ad mala citaret, Io Bacche.

Et Cicero IX. Fam. 20. *At quem, inquit, virum? non eum, quem es solitus promulside conficere. Integram famem ad Ovum affero.*

Cur autem is totus missus *Promulsidis* sibi quoque nomen adsciverit, intelligetur illico, ubi sciatur fuisse in more positum, ut eum mulsi potio subsequeretur. Id vero, quo primam sedare sitim solebant, vinum fuit melle temperatum: de quo haec enuntiat Flaccus II. Sat. 4.

Aufidius forti miscebat mella Falerno,
Mendose: quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet: leni praecordia mulso
Proluerïs melius.

II. Alter missus lautissima quaeque fercula inferebat: inter quae etiam quod esset praeci-

puum, *Caput coenae* Latinis dictum, quemadmodum Graecis Κεφαλὴ δείπνου. Idque est in illis Tullii verbis V. Tuscul. 34. *Cum tyrannus coenavisset Dionysius, negavit se iure illo nigro, quod COENAE CAPVT erat, delectatum.* Et apud Martialem X. 31.

. . . . Mullus tibi quattuor emptus
Librarum, COENAE pompa, CAPVTque fuit.

In hac vero praecipue coenae parte *Structorum* ars ac dexteritas emicabat. Erant illi quidem servi ad id positi, ut ex certarum legum praescripto cibos scinderent, ac viritim distribuerent. Ipsi *Scissores, Carptores*, et *Diribitores* dicti: necnon *Chironomontes* a χεὶρ (*manus*) et νόμος (*lex*), quippe qui *certis eruditae manus ductibus*, uti loquitur Seneca, munus obirent. Quod ipsum variis simul gestibus fungi solebant. De tota hac ratione sermo est Iuvenalis V.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, et Chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia: nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, et quo gallina secetur.

Illud modo per occasionem scito, potuisse convivas, quae pars sibi obtigisset, eam consanguineis, amicisve mittere: eique designandae rei aptatum hoc fuisse locutionis genus, *de mensa mittere*.

III. *Secundis mensis* poma, omnisque generis bellaria proponebantur; idque fuit *instaurare epulas*. Hoc pacto apud Maronem VIII Aeneid. 283.

INSTAVRANT EPVLAS, et mensae grata secundae
Dona ferunt.

§. V.

De Potu.

Bina hoc loco dabitur observare, primum varia poculorum genera, deinde quae ad ipsius potus rationem pertinuerunt.

I. Pocula a scriptoribus plura recensentur, videlicet CALATHI, CALICES, CARCHESIA, CYMBIA, PATERAE, PHIALAE, SCYPHI, TRVLLAE.

1. CALATHOS commemorat cum primis Maro V. E. l. 71 ubi canit:

Vina novum fundam Calathis Arvisia nectar.

Eos ita fuisse conformatos, ut infra angusti, mox in latitudinem sensim se se laxarent, non temere colligitur e Plinio XXI. 5. qui lilium, quod ad formam attinet, calatho comparat.

2. CALICES celebratissimi fuerunt. At ex ipsis celebriores, qui *allassontes* (a Graeco *ἀλλάσσω mato*) cognominati sunt, cum proprium eorum esset a picturae ratione colores pro vario positu immutare. Mensio de his fit apud Vopiscum in Saturnino 8.

3. CARCHESIVM, referente Macrobio V. Saturnal. 21. *procerum erat, et circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis a summo ad infimum pertinentibus.*

4. CYMBIVM, ut nomen ipsum indicat, cymbae figuram prae se tulit. (Fest. v. *Cymbium*, et Macrob. ibid.).

5. PATERAS ex eo dictas, quod planae patentesque essent, testatur idem Macrobius ibid.

Occurrunt quoque *Paterae filicatae*, quarum caelatura filicis speciem referebat. Meminit earum Cicero I. Parad. 3.

Phialae patulo erant ore, forma lebeti non absimiles, utrinque ansatae, pede autem expertes, ita ut cum ponendae essent, in os verterentur. Patet id omne ex Athenaeo XI.

7. Scyphos ingentis fuisse capacitatis, non uno ex loco proditur. Quare congruenter Flaccus Epod. 9.

Capaciores affer huc, puer, Scyphos.

8. Trvlla, quam ultimam proferimus, non ultimum inter reliqua pocula nomen habuit. Tullius IV. in Verr. 27. *Erat*, inquit, *vas vinarium gemma praegrandi, Trulla excavata, cum manubrio aureo.*

Atqve haec de variis poculorum nominibus formisque. Materia porro, ex qua confici consuerunt, multiplex item fuit. Primum itaque non raro conflata e ligno sunt. Quare *pocula fagina* occurrunt; ut apud Maronem III. Ecl. 37.

. . . . *Pocula ponam*
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis.

Tum *oleagina*; qualia memorantur l. 30. D. de Leg. 3. Denique *hederacea*; quorum meminit Macrobius V. Saturnal. 21. eaque peculiari nomine dicta *Cissibia.*

Saepe etiam materiam poculis creta suppeditavit. E quorum fictilium genere fuere *Samia et Saguntina*, altera e Samo, altera e Sagunto proficiscentia.

Frequentia quoque *vitrea* et *crystallina* fuisse, plurimis palam fit veterum testimoniis.

Neque vero e metallo rara exstiterunt. Etenim, praeter *aerea*, quam crebro *argentea* atque *aurea* se se dant obviam, atque haec maioris fastus ergo vel caelata, vel emblematis,

crustisve (23) ornata, sed vero etiam gemmis distincta. Insignis adversus rem hanc est acclamatio Plinii Praef. 33. *Turba gemmarum potamus, et smaragdis teximus calices.*

Interdum quoque tota pocula ex una gemma. Exemplum habes supra allatum ex Tullio IV. in Verr. 27. Cui addatur hoc Maronis II. Georg. 506.

Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro.

Ex his autem gemmeis perillustria erant *murrina*, e murra magni pretii lapide confecta. Ea tum ab oriente mitti solita, tum a Pompeio primum triumpho de piratis acto Romam advecta, testatur Plinius XXXVII. 2.

II. De potatione ipsa id modo singulare dicendum suppetit, adsuevisse veteres pro diversis

---

(23) Distinguenda omnino sunt vasa caelata, ab iis, quae essent vel emblematis vel crustis exornata. Scilicet caelatura in eo fuit posita, ut ex ipso vase figurae exsculperentur. Ea vasorum genera *Toreumata* παρὰ τὸ τορεύειν (*a scalpendo*) sunt nuncupata.

At *Emblemata* ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλεσθαι (*ab immittendo*) dicta, ornamenta fuerunt, quae ita vasi adnectebantur, ut tamen inde adimi, ac vel iisdem iterum, vel aliis pro lubitu adiungi possent. De his Cicero IV. in Verr. 21. *Qui pro testimonio dixit, te, cum inspiciendum* (thuribulum) *poposcisses, avulso Emblemate remisisse.*

Aeque vero ac emblemata, *Crustae* vasis affigi solebant, in eo ab illis dissimiles, quod ipsae lamellae quaedam essent; at illa imagunculas vel deorum, vel hominum, vel animalium referrent. Hinc eadem Tulliana oratione 23. discrete dicitur: *Quae* (vasa) *probarant, iis Crustae, aut Emblemata detrahuntur.* Hanc incrustandi artem qui exercebant, *Crustarii* dicebantur; quemadmodum *Crustariae tabernae*, ubi id genus opera vendebantur.

anni temporibus vinum vel calidum, vel frigidum epotare.

Ad horum prius quod attinet, moris fuit, ut per hiemem merum calida temperarent. Hinc Martialis I. 12. scripsit:

Iam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

Quod quidem calidae potionis genus quantopere in deliciis esset, vel ex eo argui possit, quod vulgo in Thermopoliis venditaretur. Quare apud Plautum Curcul. II. 3. de hominibus vino deditis dicitur:

Quos semper videas bibentes esse in Thermopolio.

Rursum vero aestate vinum nivis ope refrigerabant. Ad id usui fuit *Colum nivarium*, vasculum argenteum cribri instar perforatum: in quod postquam nivem iniecissent, paullatim vinum infundebant, quod per illum frigescens in vas infra positum defluebat. Verum pro colo pauperiores lineum solebant saeculum usurpare. Vnde ortum Martialis epigramma XIV. 103. cum lemmate, *Colum nivarium*:

Setinos iubeo nostra nive frange trientes;
Pauperiore mero tingere lina potes.

Tum statim posthac aliud inscriptum *Saccus nivarius*:

Attenuare nives norunt et lintea nostra,
Frigidior colo non salit unda tuo.

Addere postremo huc illud abs re non erit, nonnunquam unguenta potui ab iis, qui plus ceteris delicias sectarentur, fuisse immista. (Plin. XIII. 3.)

Cetera, quae de potu commemoranda sunt, sequenti §. subiicientur.

§. VI.

De Legibus Convivalibus.

Inter alia rem convivalem spectantia nonnullas quoque leges, quae a convivis servari deberent, ad nos transmisit temporum vetustas. Harum summum arbitrium ac regimen penes eum erat, qui pes sortem convivio praepositus, *Dictator*, *Strategus*, *Magister*, *Arbiter*, *Modimperator* appellabatur. De hoc magisterii imperiique genere sententia est illa Flacci I. Od. 4.

. . . . *Quo simul mearis*,
Non REGNA VINI SORTIERE TALIS.

Necnon quod canit II. Od. 7.

. . . . *Quem VENVS ARBITRVM*
DICET BIBENDI?

I. Praecipua quaedam illa lex esse solebat, qua convivae *a summo ad imum bibere* iubebantur, quod Graecis dictum ἐν κύκλῳ πίνειν: cuius ea vis erat, ut puero circumferente poculum nemo posset a potu abstinere. Eo de more accipienda sunt Catonis dicta apud Ciceronem de Senect: 14. *Me vero et magisteria* (scil. convivalia) *delectant a maioribus instituta, et is sermo, qui more maiorum A SUMMO adhibetur in poculis.*

Inde autem emanasse effatum illud videtur: *Aut bibe, aut abi:* quod Graecis totius rei auctoribus fuit, Ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι. Quod proverbio id mon tum volebant, aut tempori serviendum esse, aut ab humanarum rerum communione secedendum.

II. Constitui praeterea consuevit, quot ab unoquoque cyathi potarentur. Ita apud Plautum Stich. V. 4. ubi ad convivii magistrum sermo est:

Vide, quot cyathos bibimus. ST. tot, quot
digiti sunt tibi in manu.

Atque heic ἐν παρόδῳ advertere iuverit, cyathum duodecimam fuisse sextarii partem, exiguam sane potionis mensuram. Itaque nunquam fere unicus ille ebibitus; sed potius poculum, qui duplicem eum, triplicem, quadruplicem, vel etiam multiplicatum amplius contineret. Ex quo vario cyathorum numero factum, ut pro sua capacitate pocula mutuatis ab asse nominibus, *Sextantes*, *Quadrantes*, *Trientes*, etc. vocarentur. Cum igitur ita res esset, puer ministrando potui destinatus cyathum habebat, quo praestitutum vel modimperatoris lege, vel (ubi haec lata non esset) convivarum arbitrio cyathorum numerum admetiretur. Ipse *Servus a cyatho* nuncupatus.

III. Lex item non rara fuit, ut in alicuius honorem potaretur. Ita apud Tibullum II. 1.

SED BENE MESSALAM sua quisque
ad pocula dicat.

Ad hanc autem revocari percommode et illa potest consuetudo, qua fiebat, ut alicuius *nomen biberetur*, tot videlicet haurirentur cyathi, quot eius nomen literas continebat. Significatur aperte id moris per illud Martialis I. 72.

Naevia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

IV. Gravissima vero omnium habita lex ea fuit, qua Diis libabatur, ita nimirum, ut pauxillo vini e poculo in mensam effuso (ex quo *libatio* ipsa ἀπὸ τοῦ λείβειν *a fundendo* dicta) poculum inde in honorem alicuius Numinis sic-

caretur. Huc respicit illud Virgilii VII. Aeneid. 133.

Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.

Et VIII. 279.

In mensam laeti libant, Divosque precantur.

Secundis id maxime in mensis factitatum. Quare Idem II. Georg. 101. cecinit:

Non ego te mensis, et Diis accepta secundis,
Transierim Rhodia.

Non autem Diis solum, sed et principibus saepe viris is honos habitus. Itaque Horatius IV. Od. 5. sic Augustum alloquitur:

Hinc ad vina redit laetus, et alteris
Te mensis adhibet Deum.
Te multa prece, te prosequitur mero
Diffuso pateris, et Laribus tuum
Miscet Numen.

CAPVT IV.

De Re Funebri.

Mirvm est, quantum adversus mortuos pietatis studium apud universas gentes semper exstiterit: quippe cum illos omni officiorum genere prosequi, non tam cognationis amicitiaeque, quam humanitatis praecipuum quoddam munus habitum nullo tempore non fuerit. Qua certe in re non cessit unquam aliis Romanus populus, utpote quovis eorum temporum cultu solitus universos anteire.

§. I.

De Primis Funebrium Officiorum Partibus.

I. Toti funebri rei duo veluti initium fecerunt, annuli detractio, animaeque acceptio.

Scilicet mos primum fuit, properanti iam ad interitum auferre annulum, fortasse ne inter turbam in alienas manus incideret. Hinc dicitur Tiberius apud Suetonium 37. *Extractum sibi deficienti annulum mox respiciens requisisse.* Ob quod ipsum institutum de Hadriano tradidit Spartianus 26. *Signa mortis haec habuit: Annulus, in quo imago ipsius sculpta, sponte de digito delapsus est.*

Ea dein cura erat, ut sanguine coniunctiores morientis animam, tanquam id fieri posset, ore exciperent. Quod e reliquis ita expressum reliquit Tullius V. in Verr. 45. *Matres miserae pernoctabant ad ostium carcerum . . . quae nihil aliud orabant, nisi ut filiorum EXTREMUM SPIRITUM ORE EXCIPERE sibi liceret.*

II. Mortuo statim oculi claudebantur, propter eam, quam veriorem credimus, causam, ut recte iidem, quasi ad somnum, compositi conformatique forent. Huius officii praestationem sibi in morte filii denegatam indoluit Euryali mater per illa verba IX. Aeneid. 486.

> . . . . *Nec te tua funera mater*
> *Produxi*, *PRESSIVE OCVLOS.*

III. Tum proprio defunctus nomine pluries in-

clamabatur, ut num reapse obisset, dignosceretur. Quo spectat Ovid. dictum III. Trist. 3.

> . . . . *Nec cum CLAMORE SVPREMO*
> *Languentes oculos claudet amica manus.*

Vnde fluxit tritissimum illud: *Conclamatum est*, in rebus iam desperatis solitum adhiberi. Quod ad rem aptissime sic usurpavit Livius IV. 40. *Equites procul visi . . . tantam laetitiam fecere . . . ut moestis paullo ante domibus, quae CONCLAMAVERANT suos procurreretur in vias.*

§. II.

De Exornatione, et Collocatione Cadaveris.

I. Peractis, quae memorata modo sunt, lotum unctumque cadaver pretiosioribus pro conditione vestibus ornabatur. Ad quod apposite testatur Polybius VI. 51. eos, qui functi magistratibus fuisse, in funere togis praetextis convestitos esse; triumphales vero viros togis auro intextis; totis autem purpureis peculiari iure censores. Reliqui porro cives in togis albis elati: modo pauperiores excipias, quibus neque in vita ullus erat togarum usus.

Heic vero animadvertendum se se dat illud, consuevisse in vita parari vestem, quam non ante usui dicatam mortui demum induerentur. Ex quo non infrequenti more sic Euryali mater questa dicitur apud Virgilium IX. Aeneid. 487.

. . . . *Aut vulnera lavi*

Veste tegens: tibi quam noctes festina, diesque
Vrgebam, et tela curas solabar aniles.

Atque illinc primam duxisse originem opinamur dicendi hoc genus: *Dedicare togam in funus;* quo novae togae primus in funere usus indicabatur. Quod tamen non negamus crebrius per ea tempora usuvenisse, cum non fere toga, nisi tantum post mortem, usurpabatur; quam propterea novam omnino esse oportuit. De qua re locutus Iuvenalis est III.

Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus.

Iam porro ad vestimenti elegantiam additum nonnunquam coronae floribus intextae ornamentum est. Quod ex lege XII. Tabb. eorum fuit, qui viventes coronam sibi in ludis comparavissent. (Cic. II. de Legg. 24. et Plin. XXI. 3.).

II. Ita ornatum cadaver, atque e cubiculo a propinquis eductum, in domus vestibulo prope limen in lecto pedibus foras versis collocabatur. Quam rem Persius III. significavit his dictis:

. . . . . . *Tandemque beatulus alto*
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Cadaveri ipsi asservando apponi aliquis e familia solebat. Quod imitatus Maro XI. Aeneid. 29. cecinit:

. . . . . . *Recipitque ad limina gressum,*
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoestes
Servabat senior.

Acerram ibidem ad incendendos odores statui ante mortuum adsuevisse palam facit Festus v. *Acerra.*

Quare autem ad fores cupressus figeretur, causam hanc prodit Servius ad III. Aeneid. 64. ut scilicet pro signo foret, ne quis pontifex funestam

domum inscienter ingressus contaminaretur. Cur vero haec potius, quam alia arbos, ad id delecta fuerit, declarat ita Festus (v. *Cupressi*): *Quia huius generis arbor excisa non renascitur; sicut ex mortuo nihil iam est sperandum.* Hinc factum, ut passim ea arbor *atra*, *feralis*, *funebris*, *invisa* diceretur. Quam tamen ipsam (raritate insignem) non omnium, sed illustriorum tantum funerum sociam fuisse patet satis ex hoc Lucani III.

Et non plebeios luctus testata Cupressus.

Caeteris attributa est picea. (Plin. XVI. 10.).

§. III.

De Elatione.

I. Cadaver septem ipsos dies domi mansisse auctor est Servius ad V. Aeneid. 64. Quod tamen de indictivis modo funeribus accipi debet, cum in tacitis tantum temporis necesse non fuerit, ubi praepropere omnia fieri mos fuit. Omnino autem non totum semper id spatii inter mortem, funusque videtur intercessisse.

II. Verum quodcumque tandem illud foret, eo transacto, mortuus efferebatur. Id autem noctu factum tradidit Servius ad XI. Aeneid. 143. Qui eiusdem moris hanc affert causam, ne, si funus diurno tempore duceretur, aut magistratuum, aut sacerdotum oculi occursu illius violarentur. Sed mutata postea ratione obtinuit, ut tacita atque acerba solum funera per noctem, uti olim omnia, efferrentur, at indictiva interdiu.

Quoniam autem ducendis nocte funeribus faces adhiberi necesse erat (a quibus ipsis, scilicet a

funalibus, nomen *funeri* factum veteres grammatici tradiderunt); hinc manavit, ut illae in exsequiis omnibus, etiam diurnis, gestarentur. Quare XI. Aeneid. 142.

Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere Faces; lucet via longo
Ordine flammarum, et late discriminat agros.

III. Iam vero cum duplex esset elationis ratio, duo-inde exstitere funerum genera, *tacitum*, et *indictivum*.

Tacitum, quod et *plebeium*, *vulgare*, *commune*, *translatitium* vocatum, tenuiorum hominum funus fuit: ad quod nihil eorum, quibus insignita maxima indictiva sunt, adhibebatur, non indictio, non designatur, non pompa, non ludi.

In huiusmodi funera relatum etiam est, quod ad formam attinuit, funus *acerbum*; cuius eorum proprii, qui immaturam mortem oppetissent, haud dissimilis fuit celebratio. Consuetudinem plane aperit Tacitus Annal. XIII. *Festinationem*, inquit, *exsequiarum edicto Caesar* (Nero) *defendit. id a maioribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompa detinere.*

IV. *Indictivum* porro appellatum funus est, ad quod populus per praeconem convocabatur. Convocationis formula haec ferme fuit: EXSEQVIAS L. AVRELIO L. FILIO QVIBUS EST COMMODVM IRE, IAM TEMPVS EST, OLLUS EX AEDIBVS EFFERTVR.

Ex indictivis maxime emicuit funus *publicum*, quod viris optime de republica meritis fieri ex auctoritate senatus impensa publica solebat. Ita apud Tacitum Annal. V. *Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est.* Idque curare praetoris fuit. (Val. Max. V. 2. 10.).

Insigne quoque admodum inter indictiva exstitit funus *censorium*; utpote censorum, non paullo ceteris magistratibus dignitate antecellentium, peculiare. Quod tamen aliis etiam meritis civibus aliquando concessum. Hoc pacto ex eiusdem Taciti relatu Hist. IV. *Funus censorium Flavio Sabino ductum.* In eo praecipuum erat, quod stragula vestesque totae e purpura adhiberentur. (Polyb. VI.)

Ne vero opineris principes tantum viros, atque honestissimos quosque funeribus indictivis fuisse usos. Etiam a medioeris humiiisque fortunae civibus usurpata illa demonstrat Varro IV. L. L. 33. cum inquit: *Ex aedibus efferri indictivo funere praeco etiam eos dicit, qui e tabernis efferuntur.*

V. Toti funebri pompae ordinandae praeerat *Designator*; qui et suos ad id ministros habebat. Vnde est illud Flacci I. Epist. 7.

. . . . . . *Cum ficus prima, calorque*
Designatorem decorat lictoribus atris.

VI. Pompa ipsa e vario tum rerum, tum personarum genere conflabatur.

E rebus praecipue fuere maiorum imagines, illae nimirum ipsae, de quibus dictum Part. I. p. 84. Haeque singulis quaeque lectis funebribus praelatae. Hinc apud Silium X.

. . . . *Celsis de more feretris*
Praecedens prisca exsequias decorabat Imago.

Ex quo planum fit, quid usus habuerint plures illi lecti, quos uni interdum adhibitos fuisse funeri accepimus. Certe in funere Marcelli sexcentos Augustus praeferri iussisse dicitur a Servio ad VI. Aeneid. 861. quin etiam, quod prorsus incredibile videatur, Sulla sex millia habuisse.

Heic vero fac advertas, non solum imaginibus gestandis huiusmodi lectos deservisse, sed aliis quoque insignibus, ornamentisque, quae interdum plu-

rima fuerunt. Ita memorati modo Sullae exsequias amplius bis mille coronis aureis, quas civitates, legiones, amici contulerant, aliisque donis innumeris fuisse decoratas tradidit Appianus Bell. Civ. I.

In hoc ornamentorum genus praemitti solitam refer etiam victoriarum, triumphorumque insignia; scilicet devictorum hostium spolia, subactarum urbium gentiumque simulacra, et nomina. Hunc morem ob oculos positum habuit Maro, cum cecinit XI. Aeneid. 78.

Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat, et longo praedam iubet ordine duci.

Tum aliis interiectis:

Indutosque iubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.

VII. Personae porro, quae non exigua funebris pompae pars erant, *Sicinnistae* fuerunt, *Praeficae*, *Tibicines*, *Tubicines*, *Liberti orcini* et *Lictores*.

1. *Sicinnistae*, *sicinnium*, priscum saltationis genus, saltantes ibant. (Gell. XX. 3.).

2. *Praeficae* mulieres erant *ad lamentandum mortuum conductae, quae dabant caeteris modum plangendi, quasi in hoc praefectae*, uti scriptum reliquit Festus. Carmen, ineptum illud quidem plerumque inconditumque, quod per eas id temporis ad tibiam canebatur, *Nenia* (forsitan ab Hebraico נהי *nehi lamentum*) appellatum est. Heic autem e re nata monere subit, Praeficas plane diversas a *Funeris* fuisse. Hae namque (ita vocatae, quasi *Funereae*, prout adnotavit Servius ad XI. Aeneid. 487.) mulieres fuerunt proxima mortuo cognatione coniunctae; ad quas propterea maxime funus pertinuit.

3. *Tibicines* ideo exsequiis intererant, quod neniae, ut modo dictum, ad tibias concinerentur. Quare de frequenti harum usu loquens Ovidius inquit Fast. VI.

Cantabat fanis, cantabat Tibia ludis,
Cantabat moestis Tibia funeribus.

Cum autem magnum olim tibicinum numerum adhiberi ad funebrem pompam moris fuisset, lege postea decemvirali sancitum est, ut ne plures denis adesse possent (Cic. II. de Legg. 23.). De quibus postremo et illud scito, in quolibet eos sive illustrium, sive ignobilium exsequiarum genere habuisse locum. Aperta res est e scriptorum testimoniis, quae afferre non vacat.

4. *Tubicines* porro publicorum atque indictivorum solummodo funerum comites exstiterunt. Huc spectant verba Maronis XI. Aeneid. 192.

It coelo clamorque virum, clangorque Tubarum.

Atque illud Propertii XI. 10.

Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa;
Nec Tuba sit fati vana querela mei.

Quarum funebrium tubarum peculiare id fuisse creditur, ut longiores latioresque essent (quales aliquando in sepulcris visae), eoque ad graviorem emittendum sonum aptiores. Certe a reliquis has fuisse diversas testatur Gellius XX. 2. ubi et addit, huiuscemodi tubicines etiam *Siticinum* nomine dictos, quippe qui apud *sitos*, videlicet vita functos sepultosque *canere* consuessent.

5. Cum reliquis procedebant *Liberti orcini*, qui scilicet libertatem fuerant ex testamento assecuti; iique novorum libertorum more pileati (Dionys. p. 228.).

6. Denique *Lictores* eo numero, quem cuiusque dignitas postularet, versos fasces gerebant (Polyb. VI.). Rem imitatus sic Maro est XI. Aeneid. 92.

. . . . *Tum moesta phalanx, Teucrique sequuntur,*

Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.

VIII. Atque ecce tibi Feretrum. Quod in illustri funere, quo de agitur, Lectica ipsa esse consuevit; cuius rationem descriptam habes Part. I. p. 351. Illud comportabant plerumque proximi heredes, nonnunquam servi manumissi, nec raro, ubi defuncti merita sic poscere viderentur, primores civitatis, patricii, senatores, magistratus.

Verum in funeribus tenuiorum et Sandapila erat pro feretro, et a Vespillonibus (24), hominibus funerando mancipatis, gestabatur.

IX. Iam funus prosequabatur atrati non cognati modo et amici, sed alii quoque ea frequentia, quam maior minorve mortui amplitudo conciliasset: quae tanta aliquando fuit, ut

---

(24) De Vespillonibus ita Festus: *Vespae et Vespillones dicuntur, qui corporibus funerandis officium gerunt, non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.*

Perinde autem ac Vespillonum, etiam **Pollinctorum** atque **Vstorum** munia circa mortuorum curationem versabantur. Etenim sicut priores illi exportandis, ita alteri ungendis, postremi comburendis dabant operam.

Vniversi vero in familia erant *Libitinariorum*: quo nomine appellati sunt, qui Libitinae praeerant, qui scilicet res ad funus spectantes administrabant, locabantque. Quae quoniam in Libitinae templo servabantur, natum inde est, ut et earum locatores *Libitinarii* dicerentur, et *Libitina* tum eorundem artem, tum ipsum apparatum funeris designaret. Hac ratione apud Livium XLI. 21. *Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat.* Huc item maxime respicit illud Valerii Max. V. 2. 10. *Qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum suarum usum, tum ministerium gratuitum polliciti sunt, quia ii* (Hirtius, e Pansa) *pro republica dimicantes occiderant.*

totam fere civitatem ad cohonestandas exequias convenisse legatur.

X. Vniversa haec pompa ad forum procedebat. Vbi posito cadavere, defuncti, laudes ab aliquo propinquo, aut, quando is deesset, ab eloquenti viro ad id delecto, aliquando etiam per senatum dato, oratione pro rostris habita celebrabantur. Qua demum absoluta, funus ad combustionis, vel sepulturae locum ducebatur.

§. IV.

De Combustione.

I. Cremandorum cadaverum consuetudo a Graecis profecta Romae a primis temporibus obtinuit. Cui rei satis certo videtur esse argumento vel illud, quod Numam comburi suum corpus vetuisse referat Plutarchus.

Id tamen non sic habendum generatim est, quasi omnia universim cadavera exuri mos fuerit. Etenim, practerquam quod infantes ac fulguritos dare flammis nefas erat (prout testatur Plinius VII, 6. et II. 54.), multas quoque familias a cremandis mortuis abstinuisse affirmat idem scriptor VII. 54. ubi praecipue de familia Cornelia subiicit, neminem ex ea ante Sullam fuisse combustum.

II. Locus autem, ubi concremaretur cadaver, qui extra urbem esse debuit, modo *Bustum*, modo *Vstrina* dictus occurrit. De quarum vocum discrimine Festus: *Bustum*, inquit, *proprie dicitur locus, in quo mortuus est combustus et sepultus, diciturque Bustum, quasi bene ustum. Vbi vero combustus quis tantummodo, alibi vero est sepultus, is ab urendo Vstrina vocatur.*

III. Quod ad ipsius combustionis ritus attinuit, ante omnia *Rogus*, seu *Pyra* e lignis ad conci-

piendum alendumque ignem maxime idoneis exstruebatur; iisque olim elegantiae ergo dedolatis exasciatisque. Quod vetitum postea fuit lege XII. Tabb. quae tradente Tullio II. de Legg. 23. sic habuit: *ROGVM ASCIA NE POLITO.* Contra quam tamen reductum veterem fuisse morem non latenter indicat Plinius XXXV. 7. cum invectam pingendi rogos consuetudinem memorat: quod, nisi in perpolito ligno, factitatum vix est credibile.

Altior vero humiliorque ea lignorum strues pro defuncti conditione fieri solebat. Forma autem erat huiusmodi, ut veluti aram repraesentaret: quo ipso propterea nomine vocata interdum est, uti ab Ovidio III. Trist. 13.

Funeris Ara mihi ferali cincta cupresso
Convenit, et structis flamma parata rogis.

Quod etiam observavit Servius ad locum Virgilii VI. Aeneid. 176.

. . . . *Tum iussa Sibyllae,*
Haud mora, festinant flentes; Aramque sepulcri
Congerere arboribus, coeloque educere certant

Illud praeterea habuit peculiare nonnunquam rogus, ut assurgendo paullatim in pyramidis modum extenderetur (Herod. IV. 2.).

IV. Rogo imponebatur cum ipso lecto cadaver, et quidem (quod docuit Plinius II. 37.) oculis reseratis; quasi quos terris iam ante clausos, coelo tunc demum recludi par foret.

Multa autem erant, quae simul cum cadavere in pyram ingeri mos fuit. Ex hoc numero fuere primum mortui vestimenta. Vnde traxit suum illud Maro. VI. Aeneid. 221.

Purpureasque super vestes, velamina nota
Coniiciunt.

Eandem vicem subibant, quaecumque defuncto,

dum viveret, cordi fuissent, arma, canes, equi, aliave animalia. Declarat id diserte Donatus ad poëtae dicta paullo ante ibid. 217.

. . . . Decorantque super fulgentibus armis.

Quod et inculcat iterum scriptor idem XI. Aeneid. 80. cum inquit:

Addit equos, et tela quibus spoliaverat hostem.

Huc porro confer bonam odorum copiam, dapes, oleum; quibus item ornatum rogum fuisse palam fit per eundem VI. Aeneid. 224.

. . . . Congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Denique inter haec omnia et suus amicorum donis datus est locus. De hoc genere verba Tibulli sunt II. Eleg. 4.

Seu tibi mors veniat, neque sit qui lugeat ullus.
Nec qui det moestas Munus in exsequias.

V. His comparatis, rogum inde, qui mortuum necessitudine magis attingerent, incendebant, et quidem ad aegritudinis significationem averso vultu. Quod ita Maro VI. Aeneid. 224. expressit:

Aversi tenuere facem.

Tum ventos rogabant, ut flammam vehementius excitarent. Quo pertinet hoc Propertii IV. Eleg. 7.

Cur ventos non ipse rogis, ingrate petisti?

VI. Interim gladiatores, quando id etiam munus ad reliquia parentaliorum officia accedebat, ad rogum praeliabantur. Apte ad hunc morem Florus III. 20. *Ille*, inquit, *de stipendiario Thrace miles . . . captivos circa rogum iussit armis depugnare.* Et Seneca de Brev. vit. 20. *Quidam disponunt etiam illa . . . et ad rogum munera, et ambitiosus exsequias.*

*

VII. Quando funeri intererant milites, ter rogum, dum cadaver cremabatur, quadam militaris exercitationis specie, circumibant; quod proprie *decurrere* dictum est. Ita XI. Aeneid. 88.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter moestum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Quod decursionis genus quoniam sinistrorsum fiebat, cecinit Statius Theb. VI.

. . . . *Lustrantque ex more SINISTRO*
ORBE rogum.

VIII. Postquam flamma resederat, ad colligenda ossa cineresque studium et cura vertebatur. Ac primum ad extinguendas prunas vinum aspergebatur. Id significavit Maro VI. Aeneid. 226. per haec verba:

Postquam collapsi cineres, et flamma resedit,
Relliquias vino, et bibulam lavere favillam.

IX. Ossium inde ac cinerum per consanguineos atque amicos collectio fiebat.

Verum quo tandem pacto fieri potuerit, ut illa a ceterarum rerum animantiumque cineribus et ossibus discernerentur, disputatur inter eruditos. Atque est ea quidem de hoc nonnullorum opinio, fuisse defuncti corpus tunica e lino flammis non obnoxio involutum: quae cum ipsa non combureretur, cadaveris reliquias ab aliis seiunctas integre servaret. Id certe lini genus (quod Latini mutuato a Graecis vocab. *asbestinum* cognominarunt) memoratur Plinio XIX. 1. qui ipsum et *vivum* dici, et in desertis Indiae locis nasci scribit; tum vero subdit: *Regum inde funebres tunicae corporis favillam ab reliquo separant cinere.* At licet sane de illarum regionum regibus, de quibus sermo scriptoris est, verum id fuerit, de Romanis tamen affirmari nullo pacto potest, quibus materiae adeo rarae esse copia nequivit.

Itaque fas magis est credere, ita fuisse cadaver super alia omnia collocatum, ut ex ipso situ ossa cineresque dignosci difficile admodum non fuerit.

X. Collectae reliquiae in urnis condebantur; quae urnae a re ipsa *ossuariae* et *cinerariae* vocatae. Hae pro cuiusque facultatibus ex auro, argento, aere, marmore, vel creta factae. Exemplum dat Maro VI. Aeneid. 228.

Ossaque lecta cado texit Chorinaeus aheno.

Vrnae porro ipsae in monumentum inferebantur.

Quod si corpus comburendum non fuisset, tunc integrum sepulcro mandabatur, et quidem cum omnibus ornamentis, cum quibus fuerat elatum.

XI. His absolutis, quicumque ad id temporis adfuissent, ter per sacerdotem circumeuntem aqua lustrali expiabantur; quippe qui a funere maculam contraxisse crederentur. Ita apud poëtam ibid. 229.

Idem ter socios pura circumtulit unda.
Spargens rore levi, et ramo felicis olivae:
Lustravitque viros.

XII. Tunc demum extrema verba pronuntiabantur. Quare ab eodem scriptore statim illic subditur:

. . . . . *Dixitque NOVISSIMA VERBA.*

Horum unum fuit *Ilicet*: quod a praefica prolatum indicabat iam ire licere, cum nihil agendum amplius superesset.

Alia porro erant, queis iam iam discessuri pacem, requietem, in primisque terram levem sepulto apprecabantur. Huiusmodi illud est apud Tibullum II. Eleg. 4.

ET BENE, discedens dicet PLACIDEQVE QVIESCAS,
TERRAque securae sit super ossa LEVIS.

Quibus apprecationibus *Vale* etiam, et *Salve* attexebant. Hoc pacto XI. Aeneid. 97.

. . . . *SALVE aeternum mihi, maxime Palla,*
Aeternumque VALE.

Quo ter repetito, subiicere postremo solebant, hanc formulam: *NOS TE ORDINE, QVO NATVRA PERMISERIT, CVNCTI SEQVEMVR.* (Serv. ad III. Aeneid. 68).

§. V.

De Funebribus Humationem Consecutis.

Expletis iis omnibus, quae ad humationem spectabant, multa adhuc supererant perficienda.

I. Primum igitur funestam domum purgari oportebat. Huic rei praestandae usui erat expiatorium quoddam sacrum, *Exverriae* nuncupatum. De quo audi sis quae docet Festus (v. *Everriator*: *Exverrae* (quae altera huius fuit vocabuli forma (*sunt purgatio quaedam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est* (sive, uti legit Kirchmannus IV. de Funer. 1. *efferebatur*), *quae fit per everriatorem certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictae.*

II. Ad eandem domus expiationem pertinuere *Feriae denicales*, de quibus sic idem Festus: *Denicales feriae colebantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur. Graeci enim* νέκυν *mortuum dicunt.* A *nece* hanc ipsam vocem repetit Tullius II. de Legg. 22. quod re diversum non est.

III. Praeter has fuere *Feriales novendiales*, queis defuncto parentalia persolvebantur. Has vero ne ita dictas putes quasi novem dies perdurarint,

quales Tullo Hostilio auctore ad expianda prodigia institutas tradit Livius I. 31. De quibus enim heic agitur, eis hoc ideo nomen adhaesit, quod nono a sepultura die celebrarentur. Imitatus morem in illo est Virgilius V. Aeneid. 64.

Praeterea si Nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Prima citae Teucris ponam certamina classis.

Sacra vero ipsa, quae adhiberi ad parentandum solebant, *Inferiae* appellata sunt; et ex aqua, vino, lacte, et sanguine confecta. Ac de aqua quidem dignum notatu est, fuisse eam, testante Festo, *arferiam* vocatam. Reliqua habentur omnia in uno Maronis V. Aeneid. 77.

Heic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi; duo Lacte novo, duo Sanguine sacro.

Id etiam moris in ea celebritate servabatur, ut floribus, coronis, taeniisque sepulcrum adornaretur. Hac de causa ibid. 79.

Purpureosque iacit flores, ac talia fatur.

Et Plinius XXI. 3. *Iam tunc*, inquit, *Coronae Deorum honos erant, et Larium publicorum privatorumque, ac Sepulcrorum et Manium.* Denique ex Caecilio apud Festum: *Sepulcrum plenum taeniarum, ita ut solet.*

IV. Aliud parentaliorum genus fuerunt *Epulae*, peculiari dictae nomine *Silicernium.* De cuius vocabuli veriloquio prae omnibus magis vere Servius ad V. Aeneid. 92. *Silicernium*, inquit, *vocantur* (epulae) *quasi Silicoenium, super silicem positum.* Huiusce funebris epuli proprium fuit, ut nemo inde quidquam auferre posset, quippe quod mortuo totum deberet cedere.

Praeter has vero mortuorum epulas nulli viventium degustandas, erant et aliae, quibus co-

gnati amicique ad sepulcrum ipsum vescerentur: id quod etiam iustum quoddam parentationis officium esse credebatur. De hoc genere dixit Cicero pro Flacco 38. *Sepulcrum L. Catilinae floribus ornatum, hominum audacissimorum, ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est.*

V. Porro autem *Ludi gladiatorii* insignior funebrium iustorum pars exstiterunt. Qui non solum edi aliquando ad rogum, ut ante diximus, solebant; sed multo saepius post humationem, quo tempore collibuisset, in foro, alibive celebrabantur. Hac ratione ex relatu Livii XXXI. 50. *Ludi funebres eo anno per quatriduum in foro, mortis M. Valerii Laevini causa, a P. et M. filiis eius facti, et munus gladiatorium datum ab iis. Paria quinque ei viginti pugnarunt.*

Hos certe ludos indictivorum tantum funerum comites ab initio fuisse declarant verba Tullii II. de Legg. 24. *Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, si quid ludorum.* Verum deinde ad alia quoque funera hoc spectaculi genus prolatum esse, ipsis saepe testatoribus heredes ad hoc sibi praestandum munus compellentibus, renunciavimus iam. part. I. p. 285. unde et alia huc spectantia colligas licet.

VI. Quae commemorata hactenus sunt, ea ferme fuerunt, quae, persolutis iam ante exsequiarum iustis, mox a funesta familia peragebantur. Haec autem ipsa ad certum tempus in luctu erat. Cuius terminos definivit Numa, prout testatur Plutarchus. Quare ex illius praescripto, cum puer tribus annis minor non lugeretur, maiorem porro tot menses luctu prosequi oportebat, quot ille annos vixisset. At pro iis, qui longiorem decennio vitam egissent, ultra decem menses luctum proferre fas non fuit. Ita summum lugendi tem-

pus deni menses erant. Luctus vero ipse in eo vertebatur, ut barbam promitterent, pullas vestes usurparent, annulis non uterentur, a conviviis abessent, domi se continerent.

Expositvm iam ad id loci est, quid quid officiorum defunctis ab ipso mortis articulo ad plures dies, atque adeo ad totum luctus tempus reddebatur. Optimum nunc factu reamur, si ad universam rem funebrem pro nostro modulo absolvendam nonnulla de sepulcris adiecerimus.

§. VI.

De Sepulcris.

I. Loca condendis cadaveribus destinata, quae variis nominibus *Sepulcra*, *Monumenta*, *Memoriae*, *Tumuli*, *Conditoria*, *Conditiva*, *Quietoria*, *Requietoria*, *Sarcophagi* dicta sunt, extra urbem omnia haberi necesse fuit. Id iam primitus in mores inductum, lege dein etiam XII. Tabb. cautum sic fuit: *HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO.* (Cic. II. de Legg. 23.) Quod eo factum, tum ne aer putrefieret, tum maxime ne sacra a mortuorum propinquitate, quae eorum opinio erat, contaminarentur.

Verum non ex hoc demum emanasse credendum est, ut nulla unquam conclusa moenium ambitu sepulcra fuerint. Re namque vera id contigit his de causis, vel quod proferendis moenibus, quae monumenta foris ante iacuerant, admissa intro sunt; vel quod claris nonnunquam viris peculiari iure datum est, ut in urbe tumularentur, uti patet ex Tullio II. de Legg. 23. quod et Vestalibus perpetuo concessum testatur Servius ad XI. Aeneid. 206.

II. Duplicis autem fuere generis sepulcra, publica et privata. Ac publica quidem vel illustrium virorum, vel pauperum servorumque.

Vbi honestioribus viris sepulcrum publice tribui solebat, locus is fuit campus Martius. (Strab. p. 163.) In quam rem sic narrat Epitome Liviana CXIX. *A. Hirtius, qui post victoriam ipsius in inimicorum castris ceciderat, et L. Pansa e vulnere, quod in adverso praelio exceperat, defunctus, in campo Martio sepulti sunt.* Praeter Martium campum, in Exquilino etiam aliquando locum sepulturae fuisse assignatum, recte eruitur e Tullii verbis IX. Philipp. in fine: *Locum sepulcro in campo Exquilino C. Pansa consul, seu quo in loco videbitur, pedes triginta quoque versus assignet, quo Serv. Sulpicius inferatur.*

Sepeliendis porro humillimae conditionis hominibus mancipatus locus est extra portam Exquilinam, *Puticulae*, vel *Puticuli* nuncupatus. De nominis vi reque ipsa Varro IV. L. L. 5. *Extra oppida*, inquit, *a puteis Puticulae, quod ibi in puteis obruebantur homines. Nisi potius, ut Aelius scribit, Puticulae, quod putiscebant ibi cadavera proiecta, qui locus publicus extra Exquilias.* Similia leguntur apud Festum v. *Puticulos.*

III. Iam privata sepulcra, perinde ac publica, extra urbem fieri oportuit. Quare parabantur ad sepulturam loca in agris hortisve, maxime, si fieri posset, prope viam, ut qui illac iter facerent, de mortalitate monerentur. Ex quo frequentes sepulcrales illae exstiterunt formulae: Aspice viator . . . . Cave viator . . . . Ab ipsa autem monumentorum multitudine celebres non paucae fuerunt viae, ut Appia, Aurelia, Flaminia, Latina, aliaeque.

IV. In more etiam fuit positum, ut sibi quisque sepulcrum vivens adhuc exstruendum curaret. Hinc in inscriptiones inducta illa sunt: V. F. scilicet *vivus fecit* . . . V. F. C. *vivus faciendum curavit* . . . V. H. S. F. M. *vivus hoc sibi fecit monumentum*. Atque id genus alia.

Non tamen inficiandum est, fuisse non raro hanc curam heredibus demandatam. Vnde ortum habuit ea loquendi forma: H. E. T. F. *heredes ex testamento fecerunt*. Et quae aliae in idem recidunt.

V. De privatis praeterea sepulcris animadvertere par est, eorum quaedam fuisse communia, quaedam vero secus.

Communium duplex etiam fuit ratio, cum alia essent *hereditaria*, alia *familiaria*. In quorum altera heredes quoque extraneos licebat inferre. Altera iis modo, qui e familia essent, non autem heredibus extraneis, patebant: id quod significatum saepe in monumentis est hisce siglis: H. M. H. N. S. idest *hoc monumentum heredes non sequitur*. Vt autem apertius videas, quibusnam excipiendis sepulcra familiaria parata fuerint, antiquam hanc habeto inscriptionem:

DIS MANIB.
SACR. Q. CORNE-
LIVS. HERMA. ET CAS-
SIA. LAIS. FECERVNT
SIBI. ET. SVIS. LIB. LIBERTA-
BUS. POSTERISQVE. EORVM
HOC. MONVMENTVM
EXTERNVM. HEREDEM. NON SEQVITVR.

Non communia vero sepulcra erant, quae vel sibi tantum, vel simul coniugi constructa vellent, vel et paucis aliis, quos nominatim in id ius vocassent.

VI. Ad sepulcrorum formam quod attinet, fuerunt ea plerumque aedificia subterranea, quadratam aut rotundam figuram referentia, opere concamerato. In ipsorum parietibus dispositi circa erant loculi, in iisque singulae aut binae urnae constitutae. Totus autem ambitus superne circumsepiri solebat a pauperibus quidem maceria, a ditioribus vero silice, vel marmore.

VII. Ornamenta apponi sepulcris solita, plura numerantur. Ac primum Signa tum eorum, qui tumulati ibi forent, tum amicorum. Loquitur de his Livius XXXVIII. 56. *Romae*, inquit, *extra portam Capenam in Scipionum monumento tres Statuae sunt; quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poëtae Q. Ennii.*

Adhaec Columnae. De quarum ad sepulcra erigendarum origine sic refert Servius ad XI. Aeneid. 850. *Apud maiores, nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur. Vnde natum est, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur Columnae.*

Eiusmodi quoque Emblemata insculpta saepe sunt, quae ad sepulti vitam et facta referrentur. Quam ob rem apud Virgilium VI. Aeneid. 232.

At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit, suaque arma viro, Remumque,
Tubamque.

Id ipsum prodit Tulliana narratio de Archimedis tumulo V. Tuscul. 23. *Ego autem cum omnia collustrarem oculis . . . . animadverti columellam non multum e dumis eminentem: in qua inerat Sphaerae figura, et Cylindri.*

Aras praeterea adiici, atque aedificia superponi sepulcris suevisse testantur adiectae iis inscriptiones.

Inscriptiones autem ipsae vel soluta, vel ligata oratione concinnatae non ultimum fuere sarcopha-

gorum decus. Per quas, praeter defuncti nomen, actosque vitae annos, menses etiam non raro, dies, horas, in primis res ab eo praeclare gestas, dignitates cum laude obtentas, muniaque rite obita memoriae mandare sollemne fuit.

Arbores denique, in primis lauros, cupressos, buxos iuxta conserere (ad religionem, uti videtur, conciliandam) mos erat. Hinc illud Propertii II. Eleg. 10.

Et sit in exigua laurus superaddita busto;
Quae tegat exstincti funeris umbra locum.

VIII. Iam sepulcra per cadaveris illationem religiosa evasisse constat. Quare ut sciri posset, quatenus eorum religio proferretur, adnotari solebat, quot illa pedes in fronte (i. e. in latum) quotque in agro (scil. in longum) haberent. Huius rationis est, quod cecinit Flaccus I. Serm. 8.

Pantolabo scurrae, Nomentanoque nepoti
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat.

IX. Visis hucusque sat multis ad sepulcra generatim spectantibus, restat modo, ut unum alterumve verbum de Cenotaphiis addamus. Erant haec, quod voce ipsa indicatur, vacua monumenta, excitata vel honoris gratia illis, qui alibi sepulti essent, ob quam rem et *Tumuli honorarii* vocata sunt; vel religionis ergo illis, qui nullo conditi sepulcro fuissent, cum crederent animas irrequietas fore, donec ad tumulum quasi ad certam sedem vocarentur. Congruunt ad hoc dicta Maronis VI. Aeneid. 505.

Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
Constitui, et magna manes ter voce vocavi.

Huiusmodi vero cenotaphia, quando, quo reli-

qua sepulcra, cultu habebantur, religiosa et ipsa fuisse compertum est.

CAPVT V.

De Nummis Romanorum.

E Triplici receptiore materia, uti apud alias fere gentes, apud Romanos etiam exstitere Nummi, aerei, argentei, aureique. At non omnes tamen uno tempore in rempublicam invecti. Etenim aerea quidem pecunia diu unica Romae fuit ad annum CCCCLXXXV. Inde primum cudi argentea coepta est. Tum post annos LXII signatum aurum. (Plin. XXXIII. 3.).

Ex eo autem, quod aerei nummi tandiu soli in urbe fuerunt, natum illud est, ut plura ab aere ipso nomina toti rei nummariae fuerint adscita; uti ex illis loquendi generibus: *homo aere alieno obrutus: milites aere diruti: aere suo fecit*: atque ex aliis non paucis paret.

Verum contra tantam hanc unius aereae pecuniae diuturnitatem, quantam Plinius testatus est, stare videtur Varro, cuius haec verba profert Charisius Annal. I. *Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt*. At, praeterquam quod ita his dictis res declaratur, ut satis de ea incertam fuisse famam significetur; dici etiam possit, signatum quidem a Servio

argentum, exinde vero ob reipublicae inopiam iterum eius usum obsolevisse.

Iam quod ad ipsius *nummi* etymon attinet, ne tu id cum quibusdam a Numa repetas, sive quod is primus Romanae civitati pecuniam dederit, sive quod eam imagine notarit: sed cum aliis magis vel a Graeco νοῦμμος, quo Siculis pecunia dicta, vel ἀπὸ τοῦ νόμου *a lege* cum οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ, prout loquitur Aristoteles, *non natura sed lege* valeat nummus.

Porro autem *pecuniae* nomen, quod alterum inditum nummis fuit, a *pecu* ortum putatur, vel quia, ex Varrone II. R. R. 1. omnis pecuniae fundamentum pecus erat; vel quia illa pecudis imaginem prae se ferebat; vel denique quia e pecudum corio confici olim consuevit. Qua de re Donatus ad illud Virgilii I. Aeneid. 372.

Taurino quantum possent circumdare tergo: *Dicunt*, inquit, *pecuniam tunc ex corio bubulo fuisse, et pecuniam dictam, quod ex pecore originem duceret; tantumque fuisse in pretio loci, quantum unius corium conficere potuisset.*

His ita delibatis, ad ipsa nunc Nummorum genera aggrediamur.

§. I.

De Aereis Romanorum Nummis.

I. Insignior e nummis aereis As fuit; ab aere, uti creditur, appellatus. Is ex integra aeris libra quondam constitit ad primi belli Punici aetatem usque. Inde ut aere alieno levaretur respublica, constitutum est, quod tradit Plinius XXXIII. 3. *ut asses ex libralibus sextantario*

(i. e. duarum unciarum) *pondere ferirentur.* Tum alterius Punici belli tempore imminuti iterum fuerunt, atque unciales facti. Postremo per legem Papyriam ad semunciam devenerunt. Quod totum declarat idem scriptor ibidem.

Cum igitur pro diversis temporibus diversum fuerit assium pondus, idcirco apud veteres, ubi as libralis significandus est, *aes grave* dicitur. Ita Livius IV. 60. *Quia argentum*, inquit, *nondum signatum erat, AES GRAVE plaustris quidam ad aerarium contrahentes speciosam etiam collationem faciebant.*

Ab urbis exordio ad Servii regnum aes signatum non fuit. Quare per eas aetates pecunia, ut iustus eiusdem valor dignosceretur, ponderari solebat. Atque hinc plura illa pecuniariae rei nata sunt vocabula, *impendium*, *compendium*, *stipendium*, *pendere*, *expendere*, *dispensator*, et eiusdem generis alia (25).

---

(25) Inter ea praecipue locum habuit *libripens*, quo nomine vocatus est, qui militibus olim aes libra pendebat. (Plin. XXXIII. 3.).

De quo more servatum id postea ad quandam vetustatis imaginem fuit, ut in aliquibus iuris actibus contractibusque libripens adhiberetur. Factitatum hoc quidem in emancipatione accepimus; cuius haec ratio erat. Pater, qui filium emancipare vellet, praesentibus quinque testibus Romanis civibus, ac libripende, illum immaginario emptori manu tradens aiebat: *Mancupo tibi hunc filium, qui meus est.* Tum emptor respondebat: *Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isque mihi emptus esto hoc aere, aeneaque libra*: atque hanc postquam aere, quod manu tenebat, percusserat, ipsum aes, tamquam pretium, patri dabat. Ipse porro emptum hominem illico manumittebat. Atque huius generis venditio emptioque ter ad emancipationem peragendam fieri debebat, eo tamen pacto, ut

Tandem a sexto illo rege notam pecudis aes accepit, tradente rem Plinio XXXIII. 3. Qui praeterea subdit, ubi asses facti sextantarii sunt, eos tunc ex altera parte. Ianum bicipitem, ex altera rostrum navis habuisse. Hoc idem retulit Macrobius I. Saturnal. 7. a quo et de suo aevo additum id est: *Aes ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleae luso: cum pueri denarios in sublime iactantes, Capita aut Navim, lusu teste vetustatis, exclamant.* Harum autem imaginum ea vulgo prodita causa fuit, quod expressum per id voluerint tum Saturni ad Italicas oras adventum, tum hospitium, quo ipsum Italiae rex Ianus exceperit. Itaque Ovidius Fast. I. cecinit:

Causa ratis superest: Thuscum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Dein autem:

At bona posteritas Puppim formavit in aere,
Hospitis adventum testificata Dei.

Iam duodecim partes, sive uncias As continebat. Quod facit, ut hoc pecuniae genus non inepte cum nostrate illa conferatur, quam *granum* vocamus, quippe cum et haec e duodenis, partibus, quae *caballi* nobis dicuntur, constet.

---

tertio manumissio ab emptore nulla esset, sed is, recepto nummo, patri filium iterum manciparet. Quo facto ipse dein parens filium manumittebat: itaque is demum e patria exibat potestate.

Iam quod de quinque testibus ac libripende, necnon de adhibito aere dictum est, obtinuit, quoque in omnibus iis emptionibus, quae fiebant iure Quiritium. Quo spectat illud Horatii II. Epist. 2.

Si proprium est, quod quis Libra mercatur, et Aere.

Atque haec de Asse sint satis. Quae vero de aliis eius vocis notionibus adiicienda videntur, ea, cum minus huius loci sint, ad imam oram reiicimus (26).

II. SEXTANS aereus item nummulus fuit, duabus unciis par, quippe sexta pars assis.

III. QVADRANS, quarta pars assis, tres uncias valebat: ideo *Triuncis* etiam appellatus. Ejus,

---

(26) Plura fuerunt apud Latinos, quae in duodecim partes distributa *Assis* nomine vocari placuit; ipsae vero partes appellationibus partium ejusdem assis nuncupari.

Ita factum de Hereditate primum est. Quare *Heres ex asse* dictus, cui tota hereditas obveniret. *Heres* vero *ex uncia, sextante, quadrante*, etc. qui unam, duas, tres illius partes assequeretur. Hanc formam secutus Cicero pro Caecin. 6. *Testamento*, inquit, *facto mulier moritur. Facit heredem ex deunce, et semuncia Caecinam: ex duabus sextulis M. Fulcinium, libertum superioris viri: Aebutio sextulam adspergit.* Vbi si summam confeceris, cum sextula sit sexta unciae pars, totum hereditarium assem ea partitione expletum deprehendes.

Eadem porro nominum ratio ab asse ad Sextarium, duodecim cyathorum mensuarum, ita translata est, ut *sextans, quadrans, triens*, etc. dicerentur pocula duos, tres, quatuor etc. cyathos comprehendentia. Quo spectat illud Martialis XII. 28.

Poto ego Sextantes, tu potas, Cinna, Deunces. Et I. 107.

Crebros ergo bibas licet Trientes.

Aliis quoque rebus has ipsas appellationes accommodatas esse variis constat exemplis: quorum ecce tibi nonnulla. Cicero I. ad Att. 14. Ita scribit: *Quintus frater, qui Argiletani aedificii reliquumDodrantem emit H. S. DCCXXV. Tusculanum venditat.* Simili modo a Columella II. 4. *Dodrans operae* dicitur. Et a Plinio II. 14. *Dodrans horae.* Quibus in omnibus ea rei pars indicatur, cui ad totius integritatem quarta desit.

rata habi a portione, expressam apud nos rationem vides in eo nummo, qui quarta *grani* pars tres continet *caballos*.

Ratiti quoque appellatio quadranti accessit. Quam Varro IV. L. L. 7. ex eo deductam credit, quod pro rate ad transvectionem solveretur. Sed Plinius XXXIII. 3. a ratis imagine tum quadranti, tum trienti apposita tributam utrique ait nomenclaturam.

Esse consuevit quadrans balneatoris merces. Ea de causa Seneca Epist. 86. pro balneo *rem quadrantariam* dixit.

Quaeri vero de quadrante solet, cum pro certo habeatur aereum ipsum fuisse, cur demum Martialis X. 84. *plumbeum* nuncupaverit. De hoc enim pecuniae genere locutus vulgo creditur, cum inquit:

Anteambulones, et togatulos inter
Centum merebor PLVMBEOS die toto (27).

Fieri id quidem una ex his causis potuit, vel quod conflati aliquando e plumbo quadrantes fuerint; vel quod eis plumbum consueverit immisceri; vel denique ad contemptus significationem.

IV. Triens tertia assis pars erat, quatuor unciae. Cui quinam e nostris nummis respondeat, per te noveris.

Hanc monetam in defunctorum os immissam fuisse fertur, quae Charonti pro fluminis traiectu solveretur. Hinc apud Iuvenalem III. 265.

Iam sedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea; nec sperat coenosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore Trientem.

---

(27) Hac de re adnotatum aliquid supra est p. 7. ubi et id summae dari pro sportula solitum fuisse diximus.

V. Semissis, medius as, vocatus propterea alio nomine *Selibra*. Hanc, quo pacto quadrantem, *plumbeam* cognominat Martialis I. Epig. 100.

VI. Dupondius duos aequabat asses. Isque, uti et as, aliique non magnae existimationis nummi, pro re non raro nullius momenti positus a Latinis est. Ita a Cicerone pro quint. 16. *Si dupondius tuus* uti potius legi par est, quam *de praediis tuis ageretur*) *S. Naevi.*

§. II.

De Romanorum Nummis Argenteis.

I. Quo valore quadrantem fuisse diximus, eodem argenteos inter nummos fuit Teruncius, sola ab eo materia diversus. Hac de re, simulque de nominis origine Varro IV. L. L. 36. *Teruncius*, inquit, *a tribus unciis dictus, quod sit libellae* (de qua nos postea) *quarta pars, quomodo et quadrans assis*. Vide autem, quam apte ad rem suam minimo eius pretio utatur Tullius III. de Fin. 14 *Interit magnitudine maris Aegaei stilla muriae*; *et in divitiis Croesi Teruncii accessio.*

II. Libella, ex argento et ipsa, tantundem valuit, quod as, sive aerea libra, a qua nomenclaturam etiam accepit. Cicero II. in Verr. 10. *Et quis*, inquit, *Volcatio, si sua sponte venisset, unam Libellam dedisset*?

III. Sestertius, quo vix quidquam in ratione nummaria celebratius, argenteus nummus erat, valore duorum assium et semissis. Talem quoque monetam inter nostrates memoria patrum exstitisse scimus, vulgari dictam vocabulo *Decinchella*.

Cum igitur id esset Sestertii pretium, merito per has cum notas designatum voluerunt, L. L. S.

vel etiam ita II. S. quae dein paullum immutatae in has abierunt H. S. quo indicaretur duas libras et semis eo contineri. Ad id ipsum accommodata nomenclatura fuit: est enim *sestertius* non aliud quam *semis tertius*: quae ratio declarandi fuit, ternario numero semis deesse (28). Verum de nummo id genus fac advertas, ipsum, postquam denarius (quod subinde declarabitur) ad sedecim assium aestimationem elatus est, quaternis demum assibus stetisse; quippe qui quarta semper denarii pars fuerit. (Plin. XXXIII. 3.)

Quoniam autem pecuniarum summae plerumque per sestertio exprimi a Latinis consueverunt, idcirco operae heic pretium erit, quibus in modis praestiterint, apponere, ut res, quae implicare aliquando posset, fiat statim tironibus expeditior. Ab uno igitur ad mille hoc usurpatum genus fuit: *Decem*, *viginti*, *centum*, *mille sestertii*. A mille deinde, donec ad decies centena

---

(28) Factum hoc est ex Attica Ionicaque loquendi forma qua dici solebat ἥμισυ τρίτον *dimidium tertium*, *pro* δύο καὶ ἥμισυ *duo cum dimidio*.

Atque ad Latinorum ea in re consuetudinem spectat etiam, quod habet Festus v. *Trientem*, videlicet vocatas fuisse *Trientem tertium pondo*, quae duae librae cum triente essent, ob eam nempe causam, quod de tertia libra nihil aliud eis inerat, quam triens.

Interim ex hoc toto datur intelligi *sestertii* vocabulum suopte ingenio ἐπίθετον (*adiectivum*) fuisse. Quocirca ad integram loquendi formam *nummus sestertius* solitus dici est, quemadmodum in illo: *Nummo sestertio addici*: quanquam dein usus tenuit, ut, utriusque vocis partes agente alterutra, modo *nummus*, modo *sestertius* pro *nummo sestertio* poneretur. Veram hanc nominis rationem confirmat alia illa eiusdem usurpatio, per quam longitudo duorum pedum et semis appellata in lege XII. Tab. *pes sestertius* fuit.

millia ventum foret, triplici usi sunt ratione. In iis enim numeris, qui centum millia non attingerent, ita locuti sunt: *Mille sestertii*, *bis mille*, *aut duo millia sestertium*, vel *nummum*, etc. Vbi vero de centenis millibus ageretur, nonnunquam notas adhibuerunt hoc pacto $\overline{\text{C. H. S.}}$ scilicet *Centum millia sestertium*; ita ut primo loco numerus, deinde sestertii nota adiiceretur, superiecta autem linea millia indicaret. Interdum porro in hoc ipso genere scribebant: *Centena H. S.* videlicet *sestertium*, intellecta voce *millia*. Denique cum summa ascenderet ad decies centena millia sestertium, tunc adverbia *decies*, *vicies*, *ducenties*, etc. in sermonem inducere mos fuit, ut diceretur, e. g. *decies centena sestertium*, vel *decies sestertium*, vel tantum *decies*.

Non solum vero Sestertius, de quo hactenus, sed Sestertium etiam neutrius generis exstitisse videtur Budaeo aliisque, eo inter utrumque discrimine, ut ille quidem aeris, hoc vero argenti binas libras cum semisse comprehenderet: ideoque, cum unaquaeque argenti libra centum staret denariis, valeret hoc ipsum denarios ducentos et quinquaginta. Ita unum Sestertium tantum fuerit, quantum sestertii mille. Elucet id certe totum e loco Iuvenalis IV. 15.

. . . . *Mullum sex millibus emit,*
Aequantem sane paribus Sestertia libris.

Neque enim potuit esse mullus sex millium librarum: fuit igitur librarum sex, iisque *sestertia aequavit*; ita ut idem fuerint sestertia sex, ac sex millia (quae priore versu posuit) sestertium. A qua ipsa ratione nihil absona sunt verba Horatii I. Epist. 7.

Dum septem donat Sestertia, mutua septem

Promittit, persuadet uti mercetur agellum. Certe namque agellus, qui ibi dicitur, per septem, vel etiam (si promissos reliquos ante dedisset) per quatuordecim sestertios haberi non potuit; at commode satis per sestertia septem, multoque magis per quatuordecim sestertia illum emere fas fuit.

Quare arridet haec quidem nobis opinio, praeter sestertios, etiam Sestertia fuisse Latinis. Illorum igitur, qui contra sentiunt, partes non sequimur: qui sane cum fateantur, ubi Sestertia occurrant, accipienda ita esse, ut singula mille sestertios valere credantur; contendunt tamen nunquam id vocabulum in prorsa oratione locum habuisse, et si quando ibi se prodat, ut in Tullii VI. Parad. 3. vel alibi, factum id fuisse librariorum inscitia, qui cum notas, queis scriptores ad declarandam summam usi fuerant, explicare vellent, pro *sestertium*, prescripserint *sestertia*: a poëtis autem usurpatum illud esse aiunt per metaplasmum, metri necessitate coactis. Verum in his omnibus nulla apparet ratio eiusmodi, quae ad eliminanda e Latio Sestertia nos moveat, quasi vero si teneantur, aliquid sit inde incommodi in latialem linguam emanaturum.

IV. Alius argenteus nummus Qvinarius fuit. Quinque is, nomine ipso indice, valebat assibus, quod pecuniae genus et heic Neapoli superiore aetate viguisse audivimus, et nos ipsi iterum cusum vidimus, argenteum nempe nummum, quinque *granorum* pretio. Iam vetus ille ab impresso victoriae signo *Victoriatus* etiam dictus est. (Plin. XXXIII. 3.) Idem porro ex aucto, quod ante indicavimus, et mox subiiciemus, denarii pretio id assecutus est, ut octonis iam assibus aestimaretur. (Plin. ibidem).

V. Postremo DENARIVS, quod per te statim cognoscas, decem assium valorem obtinebat: quam ob rem appellatus etiam *Decussis* fuit. Ita repraesentatum eo cernis *carolenum* nostrum. Eidem ab affictis aliquando bigarum quadrigarumque imaginibus *Bigati* et *Quadrigati* nomina adhaeserunt.

Secundo bello Punico crevit Denarii valor, ut senisdenis inde assibus aestimatus fuerit. De quo incremento Plinius XXXIII. 3. scripsit: *Annibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales facti: placuitque denarium XVI. assibus permutari.* Vnde percipitur, quare Augusto imperii praeside milites apud Tacitum Annal. I. conquesti *militiam gravem, infructuosam; DENIS in diem ASSIBVS animam et corpus aestimari:* in inde postulaverint, *ut SINGVLOS DENARIOS mererent.* Nimirum pro denis assibus ut senideni darentur, contendebant.

§. III.

De Romanorum Aureis Nummis.

I. Nihil est, quod in aureis Romanorum nummis inspiciendis nos diu detineat: neque enim ex his alium respublica prodidit, quam AVREVM. De eius valore in hanc sententiam loquitur Dio p. 556. *Aureum voco id numisma, quod viginti quinque denarios valet.* Idem sequiore Imperatorum aevo *solidus* aliquando discriminis ergo cognominatus est, cum scilicet alii nummi aurei, qui illius dimidium, aut tertia pars erant, cusi sunt: de quibus iam paucula.

II. Hi fuere Semisses et Tremisses: de quorum origine, et ratione intelliges omnia, ubi verba Lampridii in Alex. Sev. 39. acceperis hunc in modum prolata: *Vectigalia publica in id contraxit, ut qui decem aureos sub Heliogabalo praestiterant, tertiam partem aurei praestarent, hoc est tricesimam partem: tumque primum Semisses aureorum formati sunt; atque etiam, cum ad tertiam partem aurei vectigal decidisset, Tremisses, dicente Alexandro, etiam Quartarios futuros, quando minus non posset: quos quidem iam formatos in Moneta detinuit, exspectans, ut si vectigal contrahere potuisset, et eosdem ederet. Sed cum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos iussit, et Tremisses tantum, Solidosque formari.*

Auctarium.

De Graecorum Nummis:

Mirabitur fortasse quispiam, quid rei sit, quod Romanarum antiquitatum tractationem initio professi, nunc veluti a proposito discedentes ad hanc Graecanicae eruditionis partem divertamus. Verum quicunque is fuerit, mirari profecto desinet, si id adverterit, non minimam Graecis nummis esse cum re Romana affinitatum, quippe cum eorum nonnullus etiam in urbe usus exstiterit, et non rara apud Latinos scriptores occurrat mentio. Nos igitur, qui tote hoc onere illud animo intendimus, ut pla-

nior ad Latinitatem via adolescentibus sterneretur, circumscriptos nobis terminos non ire transgressum credimus, si de Graeca pecunia, unde maior Latialibus literis splendor accedat, heic paucis egerimus.

Quanquam autem aliquot ex his nummis praetermitti per nos impune possent, quippe qui nunquam Latinis memorentur, ac ne Latino quidem nomine donati fuerint; ne quid tamen suscepto semel operi deesse videatur, et illos cum aliis recensebimus. Vniversos vero, quo expeditior res sit, una perpetua serie proferemus.

I. Dichalcvm nummulus aureus duobus valuit chalcis, pro Neapolitanae autem pecuniae ratione quinque, quos dicimus, *caballis*. Ipsum Τεταρτημόριον quoque Graeci appellarunt, quia *quarta pars* oboli erat.

II. ΗΜΙΩΒΟΛΙΟΝ *dimidium oboli* quatuor continuit chalchos, nostros *caballos* decem.

III. ΤΡΙΤΗΜΟΡΙΟΝ sex chalcos habebat, quindenos *caballos*. Itaque hanc appellationem gessit, non quod *oboli tertia pars* (prout fert nomen) esset, sed quod tres eius partes complecteretur.

IV. Obolvs ex octo constitit chalcis, uti testatur Pollux XI. 6. licet denos ei Plinius XXI. 34. attribuerit. Itaque cum nostrate pecunia collatus viginti valebat *caballos*. Dictus ἀπὸ τοῦ ὀβολοῦ (unde et *obeliscus*) existimatur ea de causa, quod et ὀβελός vocaretur veru, et hic nummus pyramidata quodammodo (non tamen acuminata) esset figura. Eundem porro nummum mortuorum ori imponere solita Graeca gens fuit, tanquam Charonti pro vectura pendendum. (Lucian de Luct.)

V. ΔΙΩΒΟΛΟΝ nuncupatus nummus, cui, ut vox ipsa indicat, duorum obolorum valor inerat.

Argenteum fuisse significat Plutarchus in Lysandro. Noctuam vero ei pro nota obtigisse testatur Pollux l. I. Ex qua impressa effigie ortum nonnulli putarunt effatum illud: Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, i. e. *Noctuas Athenas*, in eos usurpatum, qui mercium genera eo comportent, ubi ingens eorundem copia praesto sit; cum scilicet eiusmodi nummorum, qui noctuae prae se imaginem ferrent, maxima quidem vis Athenis esset. Dissimulandum tamen non est, vulgo id proverbium ad noctuas aves referri, quibus Minervae sacris reapse Atheniensis urbs abundabat.

VI. Triobolus tres ipsi oboli erat, ex nostra pecunia quinque *grana*. Insignitum ex utraque parte fuisse Jovis facie narrat Pollux ibid. Verum, uti scite ad eum locum adnotavit Seberus, non tam Jovis, quam Minervae effigie perinde hunc, atque alios Atheniensium nummos, consignari suevisse decet credere. Etenim ecquis ignorat et hanc Deam maxime Athenis cultam, et ei uni noctuam dedicatam? Itaque in vulgatis Graecanicae antiquitatis nummis passim haec avis non Jovi, sed Minervae data comes cernitur. Quin et ipsa haec volucris, ut pote cum esset Deae, quae sapientiae praeses ducebatur, mancipata, sola nonnunquam ad sapientiae providentiaeque indicium in monumentis extat; prout animadvertit Spanhemius de Praest. et Vsu Numism. Diss. III. E quibus omnibus conjectare fas est, Minerviam potius, quam Jovem, in nummo, quo de agitur, fuisse insculptam.

Ex argento autem tum hunc, tum qui statim sequitur, conflatum fuisse non immerito putatum est.

VII. ΤΕΤΡΩΒΟΛΟΝ e quatuor obolis constabat, qui apud nos sex *granis*, et octo *caballis* respondet. Ex altera parte Jovem, si Polluci credideris, vel si modo propositae animadversioni ad-

haerere malis, Minervam, ex altera vero duas noctuas ostentabat.

VIII. Drachma, argentea magni nominis moneta, sex obolorum pretio, ideoque denario Romano, nostroque *Caroleno* par. Sic appellatam vulgo opinantur a Graeco δράττεσθαι *apprehendere*, quod scilicet tot aeris minutias contineret, quot quis contracta in pugnum manu posset complecti. At Vossio persuasum est ortam hanc vocem ab Hebraica דרכמון *darchemon* idem denotante. Bene quidem: modo tamen ita habeatur, Graecos potius ab Hebraeis, quam hos ab illis (quod similius veri videtur) fuisse hoc vocabulum mutuatos.

IX Didrachmvm duarum drachmarum valore fuit.

Hunc nummum ius est credere fuisse, quem ab impressa bovis imagine (non insueto (29) ad id

---

(29) Satis receptus eiusmodi mos fuit, ut nummi ab impresso animantis cuiuspiam simulacro nomina assumerent; dicerenturque *Agni*, *Oves*, *Noctuae*, *Testudines*, *Pulli*.

Hinc est ut non temere arbitrati plures sint de monetis locutas sacras Literas esse, quando Genes. 33. 19. dictum hoc modo de Iacob est: *Emitque partem agri. . centum AGNIS.* Neque dispar opinio fuit de illo Iob 42. 11. *Dederunt ei unusquisque OVEM unam.*

Nummos certe spectavit dictum Lysandro a servo, qui ut domino patefaceret datam sibi ab Atheniensibus ad eum perdendum fuisse pecuniam, *Noctuas*; inquit, *se domi habere.*

A nummorum quoque genere, *Testudine*, appellato manavit effatum hoc, quod affert Pollux IX. 6.

Τὰν ἀρετὰν, καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι.

Vincuntur Testudinibus sapientia, virtus.

Denique, eodem Polluce teste, *Pullus* audiit quidem Corinthiacus nummus, Pegasi effigie consignatus,

rei instituto) Βοῦν (*Bovem*) vocitaverunt. Etenim Pollux ibid. narrat fuisse in more positum apud Delios, ut quando alicui praemia de publico forent impertienda, praeco clamaret: ὅτι δοθήσονται αὐτῷ τοσοῦτοι βόες καὶ δίδοσθαι καθ' ἕκαστον βοῦν δύο δραχμὰς Ἀττικάς. *quod dabuntur ei tot boves: et dari pro singulis bobus duas drachmas Atticas.* Ex quo cognoscis idem fuisse Βοῦν, ac duas drachmas, sive didrachmum. Quod ubi ita esse ducatur, iam per se patefiet, quid fuerit in lege Solonis, quod idem scriptor affert, ἀποτίνειν δεκάβοιον (*solvere decaboeum* nempe dena didrachmata pendere. Ac fuere etiam, teste eodem saepius per nos laudato auctore, qui arma ab Homero Il. ζ. ἐννεάβοια, et ἑκατόμβοια dicta sic acceperunt, ut illa *novem*, haec *centum* nummos *boves* voluisse censuerint.

X. ΤΡΙΔΡΑΧΜΟΝ (*Tridrachmum*), et TETRADRACHMUM duo alii nummi fuerunt, quorum alter tribus, alter quatuor drachmis aestimabatur.

ΣΤΑΤΗΡ (*Stater*) ab ἱστάναι *ponderare* nuncupatus est, cum ponderis etiam, non modo nummi rationem hoc nomen haberet. Quo pacto apud Hebraeos *Siclus* (30), quicum Graecus *Stater* valde congruit, a שקל *Schakal pendere* dictus, tum pondus, tum nummus fuit.

---

(30) *Siclus* perinde ac stater, quatuor drachmis Atticis permutabatur. Id, si minus aliunde, e duobus maxime locis Ex. 30. 13. et Matth. 17. 23. simul collatis palam fit. Etenim, quod tributum illic in capita imperatur, diciturque *dimidium sicli*, idem porro heic appellatur *didrachma*. Ergo si duae drachmae medium siclum, integrum drachmae quatuor confecerunt.

Duplex *Stater* exstitit, argenteus, aureusque. Atque ex argento quidem formatus quatuor valebat drachmas. Quapropter in sacris Literis apud Matthaeum 17. cum ante narretur: *Accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?* mox subiiciuntur CHRISTI verba ad Petrum: *Vade ad mare, et mitte hamum; et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens da eis pro me, et te.* Ergo tantum *Stater*, quantum duo didrachmata, seu quatuor drachmae; quippe cum binae per singulos persolvi deberent.

Aureum vero *Staterem* viginti drachmis valuisse patet ex Polluce ibid. qui eum asseverat duarum auri drachmarum pondus obtinuisse. Etenim cum inter argentum aurumque ex ejusdem scriptoris testimonio decupla proportio intercesserit, profecto duae auri drachmae, quot aureum *Staterem* efficiebant, viginti argenteas drachmas valuerunt. Is etiam quandoque Xρυ-

---

Is nummus a materia non semel *Argenteus* audit in sacris Literis. Hoc sensu Matth. 26. 13. narratur *triginta Argenteis* fuisse REDEMPTOREM a Iuda venditum. Quae summa (ipsum plane mancipiorum pretium, uti declaratur Ex. 21. 32.) duodecim *scutati* pro nostra moneta fuit.

Iam Siclus e viginti *obolis* constitit. Patet ab Ezechiele 45. 12. Vnde licet concludere, eiusmodi *obolum* (Hebraeis vocatum *gerah*) duobus *granis* nostratibus respondisse.

Porro autem sexaginta Sicli *Minam* Hebraicam conflabant: quod memoriae tradidit idem Ezechiel 45, 12. Haec igitur ad nostratem pecuniam quatuor et viginti *scutatos* valuit.

Denique e ter mille Siclis *Talentum* apud Hebraeos exstitit. Proinde mille ducentos *scutatos* nostros continuit.

σοῦς (*Aureus*) appellatus. De qua re ita Pollux l. c. Εἰ μὲν χρυσοῦς εἴποις, προσυπακούεται ὁ στατήρ. εἰ δὲ στατῆρα εἴποις, οὐ πάντως ὁ χρυσοῦς. *Si Aureus dicas, subauditur Stater: at si Stater dixeris, non omnino aureus intelligitur.* Et iure; cum praeter aureum, argenteus quoque extaret, ut modo diximus.

XII. MINA; Graecis MNA, (ab Hebraico מנה *Mane* idem denotante) centenas drachmas pretio aequavit, auctore Polluce ibid.. Quod tamen de novo huius monetae genere per Solonem statuto accipiendum est. Ante enim tres et septuaginta drachmas is nummus non excedebat. Declarat hoc Plutarchus in illius legislatoris vita: ubi tamen est qui *septuaginta quinque* malit legere; quod et passim acceptum deprehenditur.

XIII. TALENTVM (ἀπὸ τοῦ ταλᾶν *a sustinendo* vocatum, cum non prius nummum, quam trutinam significarit) ex duplici item materia se prodit, ex argento videlicet, auroque.

Argenteum quidem, ubi de Attico sermo sit, sexaginta minis aequale fuit, sexcentis *scutatis* nostris. Quod tamen non ita factum putes, quasi e tanta argenti vi unus nummus exstiterit: nam certe non aliud illud fuit, quam pecuniae summa eo definita numero, eoque nomine designata; quandoquidem cum ipsa vox Τάλαντον (*Talentum*) Graecis *pondus* generatim esset, praecipue pro hoc, quod audis, sumpta est.

Talentum vero aureum tres aureos Atticos, seu sex nostros *scutatos* continebat. De utroque Pollux eodem loco.

Quod autem excogitatum per grammaticos fuit de Talentis *magno* et *parvo*, deque inter ea discrimine, ut hoc sexaginta minas, illud octoginta valeret, totum hoc eiusmodi non est, ut facile cui-

piam se se probarit. Neque enim a Graecis unquam eo modo discreta res est, ut Τάλαντο, μέγα, atque μικρὸν diceretur. Apud Latinos modo *Talentum magnum* aliquando exstat; at id non sic vocatum ex parvi alterius, quod obtenditur, ratione. Etenim si vere ex hac inter utrumque collatione ortum illud loquendi genus fuit, cur, quaeso, nunquam *Talentum parvum* memoratum est? Quin immo qui factum, ut ab historicis semper, quod sciamus, Talenta, cum recensentur, sine ullo addito ponantur, cum tamen, ut de summa constaret, necesse omnino fuisset adiicere, de magnis, an de parvis sermo esset? At enim poëtae Talentum magnum nonnunquam nominaverunt. Ita plane: quanam vero de causa videamus.

Gronovius III. de Pecun. vet. 7. eam ad expediendum nodum ingreditur viam, ut sentiat, ideo Talentum Atticum nominatum interdum a Romanis scriptoribus fuisse *magnum*, ut a tenuissimis aliis, quae quibusdam vel in Italia, vel prope eam populis usui erant, distingueretur. Atque in suae sententiae patrocinium advocat ille Festi testimonium: *Talentorum non unum genus. Atticum est sex millium denarium .... Neapolitanum sex denarium. Syracusanum trium denarium. Rheginum victoriati.* Perplaceret omnino coniectura, modo prolatus locus, qualis certe apud Pompeium legitur, non suspectae, vel potius nullius fidei aliquando haberi incepisset.

Aliorum sententias de re proposita enunciatas afferre in medium omittimus; neque enim non suis illae urgentur difficultatibus, quas persequi instituti nostri non est.

Nobis, si quid etiam coniectare liceat, illud subiit animum opinari, hanc magnitudinis no-

tam Talento Attico non ex aliorum comparatione, sed sui ipsius gratia adhaesisse. Nimirum cum inter numniaria nomina mirifice ipsum prae ingenti pecuniae copia excelleret, facile fuit, ut familiari quodam loquendi genere vulgo *magnum* appellaretur; praesertim cum unos ea voce poëtas usos inveniamus, quorum proprium est vel vulgari, vel ἐμφατικωτέρῳ sermone gaudere. Praebent aliquam huic coniecturae ansam Pollucis dicta IX. 6. Τὸ τάλαντον μέγιστον ἐστι χρύσιον, καὶ ἀργυρίου μέρος. *Talentum maxima est auri atque argenti pars.* E quibus vides de Talenti magnitudine singulare hominum fuisse opinionem. Huc item referr non immerito potest, quod etiam *magni* nomine donatum Talentum aureum deprehendatur, quo tamen aliud minus fuisse nemo unquam dixit, scilicet quia inter nummos ex auro excusos principem omnino locum obtinebat. Ita apud Maronem IX. Aeneid. 265.

AVRI duo MAGNA TALENTA.

Quemadmodum igitur aureo Talento hoc epitheton ea, quam diximus, de causa adiectum probabiliter dici queat, ita et de argenteo factum credere par fuerit. Nam ceteroqui hoc, etiam cum *magnum* vocaretur, re non aliud ab Attico, nec sexaginta minis maius fuisse constat a Plauto: apud quem (Mostell. III. 1.) cum dicatur emptam domum fuisse duobus Talentis magnis, et datas iam venditori quadraginta minas; deinde (sc. 3.) subditur octoginta ad integram summam reliquas esse solvendas. Ergo e centum et viginti ipsis minis exstitere duo Talenta magna, non secus atque Attica, ut proinde nihil diversi inter utrumque genus intercesserit.

CAPVT VI.

De sacris.

Qvoniam tanta est sacrarum rerum varietas, ut uno eas ordine digerendi facultas non sit, quinquepartito totam hanc tractationem exsequemur. Atque ex universis, quae ad Sacra spectaverunt, primum Loca, deinde Personas, postmodum Vasa atque Hostias, tum sacrificiorum Ritus, postremo certas quasdam Celebritates percurremus.

Sectio I.

De Locis Deorum Cultui Mancipatis.

Quaedam esse debere in terris Loca, quae a profano usu secreta uni religioni dicarentur, ethnica ipsa sibi persuasit antiquitas. Quare plures obsequii cultusque sedes suis illa Diis ponere connisa est: quae iam primum dicendi nobis argumentum suppeditabant.

§. I.

De Multiplici Locorum Diis Consecratorum Nomenclatura.

Vbi sacrorum officiorum perfunctionibus coli Numina solebant, diversis ea quidem Loca appellationibus dicta sunt TEMPLA, AEDES SACRAE, DELVBRA, FANA, SACELLA, LARARIA, LVCI.

I. Atque ut a TEMPLIS ordiamur, hoc vocabulum a *tuendo* factum eam vel caeli, vel terrae partem primitus denotavit, quam ad auguria captanda augur lituo designasset definissetque; vocatam ita caelestem illam quidem regionem, quia tota aperte prospiceretur, terrestrem vero, quod inde quoquoversum liber pateret aspectus. (Serv. ad I. Aeneid. 96. et Varr. VI. L. L. 2.).

Quoniam autem huiuscemodi regiones, *templa* dictae, per auguriorum religionem quodammodo sacratae ducebantur, hinc ortum est, ut quaecunque per urbem loca consecrata augurata fuissent, *templorum* item nomine appellarentur. Hac prorsus de causa tum rostris in foro positis, tum curiae habendo senatui destinatae, eam vocem adiunctam fuisse significavimus Part. I.p.28.et 61.et seq.

Postremo ad inaugurata sacrorum religionisque domicilia ita id nomenclaturae genus translatum est, ut eis maxime omnium proprium factum fuerit.

II. AEDES SACRAE, ubi constitutae praeviis auguriis fuissent, nil plane a templis absimiles erant: at inauguratae si minus forent, in templorum numerum ordinemque adscribi non poterant. Idque est, quod ex Varrone declaravit Gellius

XIV. 7. *Non omnes Aedes sacras templa esse, ac ne Aedem quidem Vestae templum esse.*

III. Delubra a *deluendo* dicta fac maxime credas, eaque proprie hoc insignita nomine fuisse templa, ante quae fons sive lacus ad deluendas sordes exstaret. Affert hanc opinionem Servius ad IV. Aeneid. 56. cum inquit: *Delubrum dictum propter lacum, in quo manus abluuntur.* Eodem redit, quod e nonnullorum sententia tradit Asconius in Divinat. 1. nimirum ea templa fuisse *Delubra*, in quibus *labra* essent ad abluendum. Quare apposite admodum ad Christianam rem Isidorus XV. 4. *Delubra*, inquit, *veteres dicebant templa fontes habentia, quibus ante ingressum diluebantur . . . Ipsa nunc sunt aedes cum sacris fontibus, in quibus fideles regenerati purificantur.* Belle omnia habent.

Eas igitur opiniones, quibus existimatum antiquitus quoque fuit, *Delubra* vocata, vel quod ibi simulacra e *delibrato* ligno colerentur; vel ex eo, quod illuc Deus esset positus, ut a *Deo* fuerit *Delubrum*, perinde atque a candela candelabrum: has, inquam, opiniones non tanti facimus.

IV. Fanum ex principe notione dictus locus ad statuendum templum *effatus*, i. e. augurio consecratus. Indicat id luculenter per haec verba Livius X. 37. *FANVM tantum, id est LOCVS TEMPLO EFFATVS, iam sacratus fuerat.* Hinc *sistere fana*, testante Festo, fuit, futurorum in condenda urbe templorum loca constituere (31).

(31) Alia de propositi vocabuli veriloquio sententia fuit, qua *Fanum* a *Fauno* nuncupatum crederetur, cui nimirum Numini primum posita templa fuerint. Quare ubi apud Festum vulgo legitur: *Fanum a Fano dictum*, quod sane stare haud posse apparet, emendant nostri e veteri libro *Fanum a Fauno*.

Ceterum pro indicandis templis saepissime usurpari hanc vocem, multo notius vulgatiusque est, quam ut monitore indigeat. Ex qua communi significatione intelligitur, quare *Fanatici* dicti sint quorumvis templorum sacerdotes: quo pacto in vetere lapide extra Romam, unde Dacerius adnotatione in Festum v. *Fanatica* haec affert verba: Q. Coelio Apollinari Fanatico de aede Bellonae. Qui ipsi sacrorum antistites quoniam divino afflari numine credebantur, eam ob rem *Fanatica arbor* apud Festum est fulmine afflata. Ex eo autem, quod illi oracula edentes se se totos mire iactabant, *fanaticus* pro insano et furioso dictus.

V. Sacella fuere *loca diis sacrata sine tecto*, prout tradidit idem auctor: vocata propterea Graecis Περίβολα. Sed et pro quolibet aediculae genere id adhibitum esse nomen compertum est.

VI. Lvci silvae erant vel diis, vel mortuis dicatae, eoque saepe vel templa, vel sepulcra circumstantes. Qui quoniam ob sacra ibi peragi solita frequenti lumine collucebant, eam ob rem hoc fuere nomine donati. Huius generis, praeter non paucos alibi, Romae fuit, qui memoratur Livio I. 21. a Numa Camoenarum cultui attributus, et peculiari tum sacrificiorum

---

Ceterum Vossii inventum contemni non debere videtur, qui *fanum* a Graecanico ναὸς deducendum putavit, ita scilicet, ut factum illinc sit per metathesim ἀνό, inde autem spiritu (quod non insolens) abeunte in *f*, *fanum*. Coniecturam confirmat haud leviter hoc aliud eiusdem Festi. *Hanula parva delubra, quasi Fanula.*

religione, tum augurum ministerio consecratus (32).

VII. Lararium, quod et *Sacrarium* appellatum, domestica fuit aedicula, ubi custodes familiae Lares asservati singularibus observantiae officiis colebantur. De hoc genere Tullius IV. in Verr. 2. *Erat, inquit, apud Heium Sacrarium magna cum dignitate in aedibus, a maioribus traditum, peruntiquum; in quo signa pulcherrima quatuor.*

Memorabile in hanc rem est, quod de Alexandro Severo refert Lampridius 29. *Matutinis horis in Larario suo (in quo et divos principes, sed optimos electos, et animas sanctiores . . . CHRISTUM, Abraham, et Orpheum . . . habebat, ac maiorum efficies) rem divinam faciebat.* De quo eodem paulo post cap. 31. dicitur, Virgilii ac Ciceronis imagines in secundo larario habuisse. Vnde et illud discas, duplex Sacrarium, maius minusque, habitum apud Principes.

Monendum heic vero est, infimae sortis hominibus pro larario fuisse Focum; ubi Deos suos servabant venerabanturque.

---

(32) Pervetustus, ac longe lateque diffusus Lucorum cultus fuit, ab Orientis regionibus in primis ortus. Frequens admodum eorum in sacris Literis fit mentio. Ita Iudic. 6. 25. praecipit his verbis Dominus Gedeoni: *Destrues aram Baal . . . et Nemus quod circa aram est, succides.* Quam ipsam impietatem amplexata aliquando Israelitica gens, lucos subinde Numinibus consecravit. Hinc illud III. Reg. 14. 23. *Aedificaverunt et ipsi sibi aras, et statuas, et Lucos.* Similia alibi legas.

Nulla vero fuit orbis pars, quo egressa ex illis potissimum oris superstitio non pervaserit, et ubi non altas egerit radices,

§. II.

De Templorum Situ, et Structura.

I. Eo collocari positu templa apud plures gentes olim solebant, ut eorum aditus esset ad orientem, itaque adorantes in templo respicerent ad occidentem. Certum id est ab Herodoti, Diodori, aliorumque testimoniis.

Verum immutata tandem alicubi ratione eo ventum est, ut vicissim templorum fores occidentalem plagam respicerent. Fx quo novo situs genere edixit Vitruvius IV. 5. *Signum, quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam caeli regionem, ut qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem caeli orientis . . . . ipsaque simulacra videantur exorientia contueri supplicantes et sacrificantes.* Ex quo coniicere possis, quae fortasse Romae fuerit, saltem sequiore aevo, templorum positio.

Verum hoc ipsum aliquando ob certas causas non servandum monuit idem architectonices magister: nam statim subdidit: *Sin autem loci natura interpellaverit, tunc convertendae sunt earum aedium constitutiones, uti quam plurima pars moenium e templis Deorum conspiciatur. Item si secundum flumina aedes sacrae fient, ita uti Aegypto circa Nilum, ad fluminis ripas videntur spectare debere. Similiter si circum vias publicas erunt aedificia Deorum, ita constituantur, ut praetereuntes possint respicere, et in conspectu salutationes facere.*

II. Ad structuram quod attinet, curatum primum est, ut templa ad maiestatem dignitatemque ab urbis solo altius attollerentur. Ita gradus ad ascendendum a fronte habebant. Hos impari semper numero fieri, iussit Vitruvius III. 3. *Namque*, inquit, *cum dextro pede primus gradus ascendatur, item in summo templo primus erit ponendus.*

Templa ipsa quadrangula persaepe fuerunt. Docent hoc nummi.

Nec vero rara exsistere rotunda. Eiusmodi fuit templum Vestae, de quo nos Part. I. p. 32. nonnulla tradidimus. Eiusmodi templum Marti Victori ab Augusto dedicatum. Eiusmodi templum Bacchi extra portam Viminalem, exstans adhuc, at Christiano ritu S. Constantiae sacrum. Taleque in primis Pantheon, quod ab Agrippa universis Diis exstructum, tandem a Bonifacio IV. Pont. Max. B. Virgini, ac SS. Martyribus consecratum vetustatem ad id temporis felicissime fert. Sed et eiusdem formae alia plura fuisse in dubium revocandum non est.

Iam in templis quadrangulis ita columnas intus disponere mos fuit, ut vel in prima tantum aedis parte, vel in extrema etiam, vel a lateribus quoque locarentur; eo tamen semper modo, ut inter ipsas columnas et parietem ambulatio intercederet. Hinc autem diversa exorta sunt vocabula; et primi generis aedes *prostylos*, alterius *amphiprostylos*, tertii *peripteros* appellata. Quod si non unus modo, sed duplex circumeuntium columnarum ordo foret, tunc aedes ipsa *dipteros* dicta est. In columnarum porro, totiusque ferme aedis medio Cella (de qua nos postea) sita erat. De his omnibus Vitruvius III. 1.

At in rotundis templis, ea servata ratio fuit, ut unicus columnarum ordo, aut a muro inter-

po ita ambulatione seiunctus aream aedis mediam, simulque cellam ambiret; aut parieti ipsi adnexus esset. Quarum aedium priores illae item *perypterae*, posteriores *monopterae* vocantur ab eodem Vitruvio IV. 7. His vero postremis tradit Idem cellam non fuisse, sed tribunal.

§. III.

De Praecipuis Templorum Partibus, et Ornamentis.

I. Praecipuae quaedam templorum partes (praeter Aras, de quib. §. sequenti) fuere *Cella*, *Sacrarium*, *Favissae*, *Tholus*, *Fastigium*.

1. *Cella*, aedicula erat muro (nisi qua fores essent) circumsepta, inque medio prope templo collocata. Ibi stabat Numinis simulacrum. Vnde est, ut Maro III. Georg. 16. ubi de aede a se Caesari ponenda agit, hoc utatur dicendi genere:

> *In MEDIO mihi Caesar erit, templumque tenebit.*

Indidem oracula emittebantur. Quo respiciunt Senecae verba Thyest. V. 1.

> . . . . *Hinc orantibus*
> *Responsa dantur certa, cum ingenti sono*
> *Laxantur Adyto fata.*

Sciendum in primis illud de Cella est, eam duobus dicari Diis non potuisse. Rem causamque prodit Livius XXVII. 25. *Negabant* (pontifices) *unam cellam amplius quam uni Deo rite dedicari: quia si de caelo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio*

foret; quod, **utri** *Deo divina res fieret, sciri non posset, neque enim duobus, nisi certis Deis, rite una hostia fieri.* Quapropter si quando in uno templo plures Dii (qui dicti σύνναοι) colerentur, iis non una, sed plures pro ipsorum numero Cellae statuebantur. Hac ratione in capitolino templo, narrante Dionysio p. 259. tres erant *Cellae ex ordine, a lateribus communione parietum clausae: media Jovis, utrinque altera Iunonis, altera Minervae, sub eodem laqueari, eodemque tecto.*

In Cellam non fere, nisi sacerdotibus, licebat ingredi. Propterea tanquam insueta res dicitur apud Gellium VII. 1. *Scipionem in Capitolium ventitare solitum, ac iubere aperiri Cellam Iovis, atque ibi solum diu morari, quasi consultantem de republica cum Iove.*

Quoniam igitur primaria illa Numinis sedes inaccessa vulgo non erat, ea de causa *Adytum* quoque (a privativo α et δύω *ingredior*) nuncupata est. In quod, iam tute videris, quantopere conveniant illa Maronis II. Aeneid. 296.

Sic ait, manibus et vittas, Vestamque potentem,
Aeternumque Adytis effert penetralibus ignem.

Ac deinde 351.

Excessere omnes Adytis, arisque relictis
Dii.

Quae ultima poetae dicta in mentem etiam morem illum revocant, quo arae ante ipsam Cellam exstruebantur. Itaque verissime scripsit Arnobius contr. gent. VII. *Thura iniiciuntur altaribus ante ipsa Numinum signa.*

2. *Sacrarium* locus fuit, sacris rebus asservandis destinatus. Quare non inficete urbs Caere, ubi olim bello Gallico sacra Romanorum custodita fuerant, dicitur apud Livium VII. 20.

Sacrarium populi Romani . . . . . *Receptaculum Romanorum sacrorum.*

3. *Favissae* (ab antiquo *favio*, pro *foveo*, vel *fodio*, nomen adeptae) cisternae ad continendas aquas primitus; fuerunt; quod paret a Festo. Postea cellarum functas sunt vices ad sacras templi res vetustate corruptas accipiendas. Itaque Varro apud Gellium II. 10. *Favissas*, inquit, *esse cellas quasdam*, *et cisternas*, *quae in area sub terra essent*, *ubi reponi solerent signa vetera*, *quae ex eo templo collapsa essent*, *et alia quaedam religiosa donariis consecratis.*

4. *Tholus* breve veluti scutum in medio tecto erat, prout explicat Servius ad IX. Aeneid. 407. Celeber is maxime eo fuit, quod ad ipsum suspendi donaria consuerant. Testatur laudatus modo Maronis locus:

> *Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris*
> *Dona tulit*: *si qua ipse meis venatibus auxi*,
> *Suspendive Tholo*, *aut sacra adfastigia fixi.*

Est tamen de Tholo alia opinio, fuisse eum id testudinati operis genus, quod pro praesenti more testudini ipsi fastigii instar insidet, dictum Gallice *Lanterne*. Indicasse videtur Ovidius Fast. VI. cum de templo Vestae inquit:

> *Par facies templi* : *nullus procurrit in illo*
> *Angulus* : *a pluvio vindicat imbre Tholus.*

Fortasse utraque res pro diversa structurae ratione fuit adhibita, atque utrique vox eadem accommodata.

5. *Fastigium*, insigne illud templorum fuit, quod Graeci dixerunt ἀκρωτήριον, videlicet signa tecto imposita. Itaque cum Caesaris aedibus fastigium senatus consulto concessum fuit, divinus ei honor tribui creditus est. De qua re

sic Florus IV. 2. *Omnes unum in principem congesti honores . . . . suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in caelo.* De hoc eodem locutus est Suetonius in Caes. 81. cum inquit: *Calpurnia uxor imaginata est, collabi Fastigium domus.* Quem ipsum casum referens Plutarchus in Caes. illud appellavit ἀκρωτήριον.

II. Quo maius sacris aedibus decus compararetur, supra structurae splendorem adiecta quaedam etiam ornamenta sunt. Huius generis fuerunt *Picturae*, *Clypei*, *Spolia*.

1. De *Picturis* satis sint duo exempla. Cicero IV. in Verr. 55. *Pugna*, inquit, *erat equestris Agathoclis regis in tabulis picta praeclare. His autem tabulis interiores templi partes vestiebantur.* Et referente Plinio XXXV. 4. *Victoriae suae Asiaticae tabulam in Capitolio posuit L. Scipio.*

2. *Clypeos*, quos heic audis, noli ad bello usum factos existimare. Fuerunt hi ingentes disci ex metallo, illustrium saepe virorum imagines, preclaraque gesta insculpta repraesentantes. Talem primo Appius Claudius maiorum suorum effigies et titulos honorum exhibentem posuit in aede Bellonae A. V. CCLIX. ut posteris tradidit Plinius XXXV. V. 3. Simile dein per alios factitatum.

Huc etiam coniici potest *Clypeus Martius*: de quo Livius XXV. 39. postquam narravit victoriam a Romanis duce Martio de Poenis habitam, atque in reliqua praeda *fuisse Clypeum argentum pondo centum triginta octo, cum imagine Barchini Asdrubalis;* paullo inde post subiicit, *monumentum victoriae eius de Poenis usque ad incensum Capitolium fuisse in templo Clypeum Martium appellatum, cum ima-*

gine Asdrubalis. Referri tamen id exemplum possit etiam ad Spolia, de quibus mox.

Sed iam frequentiorem ad templa ornanda Clypeorum usum disce ab eodem XXXV. 41. sic dicente: *De multa damnatorum quadrigae inauratae in Capitolio positae in cella Iovis supra fastigium aediculae, et XII, CLYPEA inaurata.*

3. Hostilibus quoque *Spoliis* adornare delubra solitum fuit. Ita apud Eundem X. 46. *Aedem Quirini exornavit hostium Spoliis; quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum, forumque his ornaretur, sed sociis etiam, colonisque finitimis ad templorum, locorumque publicorum ornatum dividerentur.* Ex eoque more canitur XII. Aeneid. 183.

Multaque praeterea sacris in postibus arma.
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.

§. IV.

De Aris.

I. Diu antequam a mortalibus excitarentur templa, fuisse Aras ad sacra facienda structas accepimus. Itaque quo tempore consuetudo haec viguit, erectae illae ubivis sub dio fuerunt, in viis, in montibus, in silvis, maximeque sub alicuius arboris protegentibus simul, atque opacantibus ramis. Quod postremum sectatus Maro II. Aeneid. 512. de Priami domo haec protulit:

Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe
Ingens Ara fuit, iustaque veterrima laurus

Incumbens Arae, atque umbra complexa Penates.

Aedificatis vero templis, statim locum ibi suum quasi iure proprio obtinuerunt Arae, et quidem media in aede ante cellam.

Verum et post extructa templa perfrequentes tamen fuisse subdiales aras certo certius est. Plures profecto hujusmodi ad unam Romam spectantes a P. Victore numerantur; quae solae aperto sub caelo fuerint. Saepe quoque in Inscriptionibus unius Arae, utique extra aedem positae, aliquando etiam sacerdotis ei mancipati fit mentio.

II. Altiores, humilioresve fieri solebant Arae, prout magis minusve eminentes habebantur Dii, quibus dicarentur. Itaque Iovi aliisque Superis excelsissimas, valde autem depressas Vestae, Telluri, Mari, utpute terrestribus Diis, confieri suevisse testatur Vitruvius VI. 8 Atque illae quidem ab altitudine proprie *Altaria* nuncupatae: quanquam vix unquam id discrimen scriptores servant.

III. Confici Arae solitae ferme sunt e lapide: quas tamen interdum vel ex latere, vel alia ex materia structas constat. Ita apud Ovidium V. Trist. 5.

Araque graminco viridis de Caespite fiat.

Quod plane ipsum habemus ab illo Flacci III. Od. 8.

Quid velint flores, et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Caespite vivo.

IV. Praeter consuetam formam, qua Arae quadrangulae erant, rotundas etiam exstitisse nummi significant.

V. Quod Aris suorum Deorum nomina inscribi solerent, manifestum, si aliunde minus, e celebri fit illa inscriptione, quam arae affictam

Athenis se legisse Apostolus Act. 17. 23. affirmat: ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ (IGNOTO DEO).

Hoc vero ipsum factitatum scias in Mensis suo templorum usui attributis, ut eis epigramma aliquod apponeretur: quale hoc memoratum a Tullio III. de Natur. Deor. 34 BONORVM DEORVM.

VI. Sollemnis etiam consuetudo fuit ut ornarentur Arae taeniis laneis, frondibus, floribusque. De singulis suppeditant scriptores exempla. Propertius IV. 6.

Terque focum circa LANEVS ORBIS eat.

Virgilius IV. Georg. 276.

Saepe Deum nexis ornatae TORQVIBVS arae.

Ovidius III. Trist. 13.

Fumida cingatur FLORENTIBVS ara CORONIS.

VII. Quantus autem de Aris esset religionis sensus, vel ex hoc intelligi potest, quod, ut fides omnis iuramento constaret, iurantes tangerent Aram. Ex quo more apud Virgilium XII. Aeneid. 201.

TANGO ARAS, mediosque ignes, et Numina testor.

Sectio II.

De Sacerdotibus, Eorumque Ministris.

Ad varias sacrarum rerum curationes diversa accommodata sunt Sacerdotum Ministrorum-

que genera muniaque. Eadem, per quae ingens Romanae antiquitati addita sepellex est, iam non minima nos ex parte huc conferemus.

§. I.

De Collegio Pontificum.

I. Quam maxime, inter reliqua Romae vigentia, Pontificvm sacerdotium eminuit: quod a Numa institutum tradiderunt Livius I. 20. et Dionysius p. 132.

Quatuor eos, omnesque patricios, primitus fuisse liquet. Deinde anno CDLII. adnitentibus tribunis plebis, quatuor alii de plebe adiecti. Rem fuse narrat idem Latinus historiographus X. 6. Post haec Sullam dictatorem eorum collegium ad quindecim ampliasse refert Epitome Liviana LXXXIX.

Ex quo tempore communicatus cum plebe Pontificatus fuit, usus ille obtinuit, ut qui patricii essent sanguinis *maiores*, plebeii autem *minores* vocarentur.

Mortuo Pontifici alius per idem collegium ex universa civitate delectus subrogari olim solebat. (Dionys. p. 133.) At postea eorum (quemadmodum aliorum etiam sacerdotum) renunciandorum potestas per Cn. Domitium ad populum delata. (Cic. II. in Rul. 7.) Actum hac de re nobis est Par. I. p. 105. Qua tempestate ita fiebat, ut renunciati a Populo Pontifices, a suo deinde collegio cooptarenrur: quod et ceteris usuveniebat sacerdotibus. Quare si verbis

nostri Iuris loqui velis, populus Pontifices *nominabat*, collegium *instituebat*; uti recte observavit Gutherius I. de vet. iur. Pontif. 8.

Summa Pontificum in rem sacram potestas fuit. Ipsi de causis omnibus eam spectantibus iudicabant: leges de religione condebant, admissorum in ipsam criminum reos pro merito multabant: sacerdotes, eorumque ministros in officio continebant: nec de publicis tantum, sed de privatis quoque religionibus tanquam Deorum interpretes consulebantur. Quod autem per tres Pontifices statutum foret, omnino ratum sanctumque habebatur. (Cic. de Harusp. Respons. 6.)

Singulare Pontificum insigne fuit TVTVLVS, de quo dictum p. 39.

II. In Pontificum collegio insigniter eminebat PONTIFEX MAXIMVS, quippe *maximus rerum, quae ad sacra et religiones pertinerent, iudex*; Uti loquitur Festus v. *Maximus Pontifex.*

Certe quidem eius fuit praecipuo quodam iure cavere, ne quid unquam detrimenti religioni inferretur; ad hoc sacra Vestae tueri, Vestalibusque praeesse; annales pertexere, populoque cognoscendos domi proponere.

Creatus a Numa primum fuisse creditur; ita ut quem scribit Livius I. 20 ab eo rege Pontificem factum, is ipse Maximus fuerit. Profecto Aurelius Victor de vir. illustr. 3. *Numa*, inquit, *Pontificem Maximum creavit.* Alios deinceps satis longo intervallo quinam delegerint, reges, populus, an collegium, per annales scire non licet. De sequiore aetate certum est, concreditam populi suffragiis eam renuntiationem fuisse: de quo instituto vide dicta Par. I. p. 105. et 108.

Pro peculiari ornamento data huic Pontifici TOGA PRAETEXTA.

Proprium etiam eius fuit, ne domum publicam habitare deberet; rem testante Dione p. 541.

Hic vero Pontificatus maximi honor post reipublicae casum, in Imperatores stabili quadam successione collatus est.

§. II.

De Collegio Augurum.

I. Fuisse a Romulo AVGVRES in urbe constitutos indicant verba Dionysii p. 93. eosque ex unaquaque tribu singulos, patefacit locus Livii X. 6. Crevisse deinde eorum collegium, ita ut vel quatuor, vel sex potius contineret, comperta res est: at cuius opera factum id fuerit, latet. Constat id etiam anno urbis CDLII, auctum rursum illud fuisse ad novem, quinque ad patricios, quales hactenus fuerant, additis plebeiis. (Lib. X. 9.)

Eorum creatio, quae ad collegium ante pertinuerat, commissa populo fuit per legem Domitiam, cuius per nos saepius iniecta est mentio, praesertim P. I. p. 105.

II. Augurale officium erat, auguria, vel auspicia capere. Vbi primum omnium fac advertas, quanquam duo haec vocabula solita sunt promiscue usurpari, aliquo tamen fuisse interdum a se invicem discrimine distincta. Ita apud Varronem VI. L. L. 2, *In terris dictum templum locus, Augurii, aut Auspicii causa, quibusdam verbis finitus.* Etsi enim ex vi sua utrumque nomen ab avibus derivetur, cum alterum sit ab *avium garritu*, alterum

ab avium spectione; vulgatior tamen usus tenuit, ut *Augurii* magis, quam *Auspicii* notio ad quorumvis aliorum, quam quae ab unis avibus petebantur, signorum, observationes portenderetur. Itaque Augurum ars in avium, fulgurum, tonitruum attendenda ratione vertebatur.

III. Ad aves quod attinuit, quando captanda inde auguria forent, apertum aliquem locum adibat augur; atque in urbe quidem plerumque arcem, quae idcirco ex Festi testimonio vocata olim fuit *Auguraculum*. Ibi conversus ad (33) Orientem (quod liquet a Dionysio p. 80.) postquam certam aliquam caeli partem lituo definisset, ex avium descriptam regionem ineuntium volatu, aut cantu augurabatur. Etenim pro eo ac illae sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum irent, vel prout cantitarent, varia portendere credebantur. Qua in re dignum efferri occurrit, quae aves volatu darent signum, eas *alites* dictas, quae vero voce, *oscines* nuncupatas. Vniversae autem si ratum fecisse augurium putarentur; *addixisse*, aut *admisisse* contra vero *abdixisse* dicebantur. Ita apud Livium XXVII. 16. *Fabio auspicanti . . . . . . AVES semel, atque iterum non ADDIXERVNT.* Et apud Ciceronem l. de Divinat. 17. *Cum* (Attius Navius) *in quatuor partes vineam divisisset, tresque partes AVES ABDIXISSENT*, etc.

A pullis quoque cum primis auguria capi-

---

(33) Aperte Halicarnasseus significat ortum ipsum regionem eam fuisse, quam respiciebat, qui caparet augurja. Alicubi tamen pro Oriente Meridiem invenies. Ita apud Tullium I. de Divinat. 17. auspicaturus Attius Navius *AD MERIDIEM SPECTANS* in vinea media dicitur constitisse.

mos fuit; in quibus attendebatur, num avide, necne ad obiectam offam occurrerent, cum illud faustum, hoc secus haberetur. Quo in genere laetissimum omnium illud fuit, cum quippiam comedentibus ex ore excideret: idque auspicium dictum *Tripudium solistimum*. De eo loquentem audi Tullium II. de Divinat. 34. *Quia, cum (pulli) pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, et TERRAM PAVIRE, TERRIPAVIVM primo, post TERRIPVDIVM dictum est: hoc quidem iam TRIPVDIVM dicitur. Cum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti TRIPVDIVM SOLISTIMVM nuntiant.* Vbi praeter rem ipsam habes etiam enucleatum *Tripudii* veriloquium. Alteram vero vocem *Solistimum*, cuius heic etymon tacuit Cicero, a *solido*, seu *solo*, in quod illa pars cibi caderet, ortam indicat Idem I. de Divinat. 15. Sunt tamen, qui eam a *sollo*, quod Oscis erat *totum* derivent, ut fuerit *Sollistimum* totum ipsum frustum, quod decidebat.

IV. In fulgore tonitruque id unice spectari consuevit, a laeva ne, an a dextra se se proderent, quippe cum sinistra boni ominis, dextera vero infausta ducerentur. In hanc plane rem est illud Maronis II. Aeneid. 693.

INTONVIT LAEVVM, et de caelo lapsa per umbras.
Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit.

Et Ennius apud Ciceronem II. de Divinat. 39.

Cum TONVIT LAEVVM BENE tempestate serena (34).

Ideo autem sinistra, id genus auguria habita

(34) Oppositam hac in re secuti Graeci fuere rationem, quibus nimirum dextera pro faustis erant. Hinc illud ab Vlysse dictum Iliad. I. 236. quod ita profert Cicero II. de Divinat. 39.

pro felicibus fuisse affirmat Dionysius p. 81. quod qui augurare tur, quippe solis ortum spectans, septentrionem haberet ad laevam, ad dexteram vero meridiem; e quibus regionibus illa, quae in nostro hemisphaerio alte attollitur, putaretur illustrior, altera vero nobis depressa ac delitescens, inferior atque despectior. Eaque de causa, quae ipsa auspicanti laeva essen, teadem, veluti a potiore caeli parte prodeuntia, in ordinem fortunatiorum relata sunt.

Cave tamen existimes ad eandem normam quaevis auguriorum genera fuisse perpensa. De avibus procul dubio res variavit. Quare apud Tullium I. de Divinat. 39. *A dextera corvus, a sinistra cornix ratum facit.*

V. Ornati fuerunt augures Toga trabea, de qua habitus sermo est p. 14. et Litvo, cuius habes imaginem nummo propositam Part. I. p. 124.

§. III.

De Haruspicibus.

I. Suum etiam locum, licet auguribus inhonoratiorem, romana in republica obtinuerunt Harvspices, tres primum pro numero tribuum a Romulo instituti. (Dionys. p. 93.) Eorum porro incrementa quaenam, aut quando exstiterint, tacuerunt historiae. Cognitum tamen est, fuisse aliquando in more positum, ut, quo hominibus haruspicina praestantibus urbs abundaret, plures principum filii Etruriae populis (un-

---

PROSPERA Iupiter his DEXTRIS FVLGORIBVS edit.
Quare subdit idem Romanus Scriptor: *Ita nobis SINISTRA videntur, Graiis et barbaris DEXTRA, meliora.*

de tota eius origo) in disciplinam traderentur. (Cic. I. de Divinat. 41.).

II. Summam Haruspices operam in victimarum inspiciendis extis, inque iis, quae inde portendi crederentur, explicandis locatam habebant; ut propterea non immerito ab *Haruga* (35), quo nomine antiquitus dicta victima, appellationem hausisse videantur. Itaque si illa integra, nitida, plena apparerent, bene extispices de rerum exitu augurabantur, male autem, si eadem morbida, livida, exilia se se proderent. Quare apud Lucanum I.

Atque iram superum raptis quaesivit in extis.
Terruit ipse color vatem: nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus asperso variabat sanguine livor.

III. Erant autem exta, quae observari solebant, *Cor*, *Pulmo*, *Fel*, omnium vero maxime ac diligentissime, *yecur* : ex quo fuit, ut totum ipsum extispicium κατ᾽ ἐξοχὴν a Graecis ἡπατοσκοπία (*iecoris inspectio*) vocari adsueverit. Id igitur pervidebant, vividum ne esset et amplum, an marcidum ac tenue, adhaec capite praeditum, an expers, in primisque num replicatum; id quod inter reliqua omnia faustissimi ominis habebatur. Quare Plinius XI. 37. sic narrat: *Divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suae die, sex victimarum IECINORA REPLICATA intrinsecus ab ima fim-*

(35) Bene quidem docuit Donatus ad Terent. Phorm. VI. 4. *Harugam*, unde sit Haruspex, dictam hostiam fuisse. In eo tamen non se facile omnibus probavit, quod eam vocem ab *hara*, ubi includantur pecora, arcessiverit. Derivandum enim potius id vocabulum, quo pacto et alia Etrusca plurima, a Fonte Hebraico fuit, ubi הרוגה *Haruga* est *Caesa*, nimirum hostia; prout iam observarunt docti viri.

bria reperta sunt: *responsumque*, *duplicaturum intra annum imperium*.

IV. In eo extispicii genere attendebantur *fibrae*, *fissum*, *caput*.

1. Sunt sane iecoris *fibrae* (ex Servio in I. Georg. 120.) eius extremitates: quas ad prospere ominandum laetas esse oportebat. De ipsis Maro I. Georg. 483.

. . . . *Nec tempore eodem*
Tristibus aut extis FIBRAE apparere MINACES,
Aut puteis manare cruor cessavit.

Et Tibullus II. 1.

. . . . *Viden' ut felicibus extis*
Significet placidos nuntia FIBRA deos?

2. Porro *fissi* nomine dictae binae iecoris partes, in quas, ut mox explicabitur, distingui diffindique assolebat. Fit de eo mentio apud Tullium III. de Nat. Deor. 6. *Vnde porro ista divinatio? quis invenit Fissum iecoris?* Et alibi saepe. Id igitur ex eo ortum; quod duas in iecore partes distinguerent haruspices, easque ubi opus esset dividerent, e quarum altera persentiscere se posse rebantur, quid civi, ex altera quid hosti futurum esset; ut illam propterea *familiarem*, hanc *hostilem* nuncuparent. Huc spectat illud eiusdem II. de Divinat. 12. *Quae PARS INIMICI, quae PARS FAMILIARIS esset*. Atque hinc intelligas verba Livii VIII. 9. *Decio caput iecinoris a FAMILIARI PARTE caesum haruspex dicitur ostendisse*.

3. Maximi quoque *caput* momenti fuit, pars iecoris superior, quam et perattente intuebantur. Ipsum ἀντονομαστικῶς, tanquam omnium praecipuum, dictitatum *caput extorum* docuit Plinius XI. 37. Quod certe si inventum non

esset, nihil videbatur posse dirius contingere, prout scripsit Cicero II. de Divinat. 15.

V. Vides hinc interim, quae prodigiorum genera solerent per extispices evulgari. Nec vero tantummodo iecinoris caput, sed et totum aliquod extorum defuisse aliquando dicebatur; quod ipsum habitum procul dubio tristissimum. Vtrumque portentum extat in hac de Caesare narratione apud Tullium I. de Divinat. 52. *Qui cum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit, et cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi COR NON FVIT . . . Qua ille rei novitate perculsus, cum Spurinna diceret, timendum esse, ne et consilium, et vita deficeret: earum enim rerum utrumque a corde proficisci: postero die CAPVT IN IECORE NON FVIT.* Similia persaepe occurrunt. Quae res ne cui forte mira videatur, haud difficulter id totum vel daemonis, vel victimariorum opera fieri potuit.

VI. Non unius vero extispicii finibus se se haruspicina continuit, sed ad universa interpretanda ostenta ius suum latissime protulit. Quando igitur vel lapidibus pluisse, vel faces caelo apparuisse, vel aliud extra ordinem accidisse ferebatur, de his consuli solebant haruspice, atque ex eorum responsis prodigia procurari.

§. IV.

De Duumviris, Decemviris, Et Quindecemviris Sacrorum.

Sacerdotium, de quo heic sermo instituitur, Duumvirale primitus fuit; exinde Decemvirale, postremo Quindecemvirale effectum. Eius originem hanc profert Dionysiana narratio p. 259.

I. Cum novem libri Sibyllina oracula continentes ab extera quadam muliere oblati venales Tarquinio Superbo fuissent, neque tamen pretium convenisset, abiens illa tres igne absumpsit. Quae rursus alio die ceteris regi exhibitis, eandem, ac antea, pro his pecuniam petiit: conditione autem prope cum risu excepta, tres alios illa pariter concremavit. Reliquos postremo nihilo minoris, quam quod initio postularat, se fore vendituram professa est. Tunc vero commotus Tarquinius consilio cum auguribus habito eos tanquam ad salutem regni fatales coëmit: binisque ad id delectis viris custodiendos consulendosque tradidit. Hoc pacto ex Halicarnasseo Duumviri creati.

Eorum deinde numerus, eiectis regibus, a civitate auctus ad Decemviros evasit; prout rem tradidit idem historiographus p. 260.

Posthac, et quidem (ex Servio ad VI. Aeneid. 73.) ante Sullana tempora, per novam accessionem Quindecemviri sunt facti.

Cum adhuc deni essent, universos e patriciis deligi moris erat. Tum anno CCCLXXXVII. perlata per Tribunos lex fuit, ut pars eorum de plebe crearetur (Liv. VI. 42).

II. Potissimum, quod e jam dictis patet, eorum fuit, cum gravis aliqua calamitas rempublicam vexaret, aut nuntiata dira prodigia essent, libros Sibyllinos iubente senatu adire, ut quid foret consilii capiendum, ab eorundem oraculis expiscarentur. Ita auctore Livio VII 27. *Pestilentia civitatem adorta coegit senatum imperare Decemviris, ut libros Sibyllinos inspicerent; eorumque moniti lectisternium fuit.* Et XXI. 62. *Ob cetera prodigia libros adire Decemviri iussi.*

Huiusmodi porro libri, qui in capitolino templo lapidea arca inclusi abservabantur, incenso temporibus Sullanis templo arserunt. Itaque ex senatus consulto conquisita unde unde Sibyllina alia oracula fuerunt, quae in deperditorum locum succederent, teste Dionysio p. 260. Atque horum exinde custodiae praefuerunt sacerdotes, de queis agitur. Eadem postmodum Augustus duobus forulis auratis sub Apollinis Palatini basi condidit. (Svet. in vit. Aug. 31.)

III. Iam quoniam Sibyllinorum carminum curam Quindecemviri gerebant, Apollinis simul sacerdotes erant; etenim Sibyllae, eiusdem Numinis vates esse putabantur. Quare et habebant illi domi pro eius sacerdotii insigni tripodem Apollineum; et pridie quam sacra facerent, delphinum item Apollini dicatum, qui eorum tripodi erat religionis ergo appositus, per urbem circumferebant. Refert id omne Servius ad III. Aeneid. 332. Hinc autem fac revoces quoque causam, quare et fatales libros inspecturi, et spectaculis adsidentes uti ad ornatum lauro solerent. (Vopisc. in Aurel. 2. et Arnob. IV.)

IV. Ad eosdem porro pertinuit procuratio ludorum saecularium, quos centesimo quoque an-

no (36) circa tempus messis celebrare mos erat. De hoc eorum munere satis sint verba Flacci Carm. saecul. Epod. 14. ita canentis:

Quaeque Aventinum tenet, Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet

---

(36) Singulis quibusque saeculis fieri ludos saeculares consuevisse, ipsa eorum nomenclatura patefacit. At quodnam temporis spatium *saeculi* vocabulo definiatur, id vero quaeritur ab eruditis.

Et sane non defuere, qui ipsum aetate hominis quodammodo terminaverint; quippe qui ideo *saeculares* dictos esse crediderint, quod semel per hominis vitam celebrarentur; quo pacto, aiunt, quae perraro fiunt, post saeculum fieri dicere moris est. In suae autem sententia praesidium advocant verba Ovidii II. Trist. 2.

Iusserat, et Phoebo dici, quo tempore ludos
Fecit, quos aetas aspicit una semel.

Verum non tanti hoc totum esse videtur, ut ad sui comprobationem facile pertrahat.

Alii porro saeculare tempus ad centum ac decem annos extenderunt. Nituntur hi testimonio Censorini de Die nat. 17. qui e decemvirorum commentariis tradit proditum per eos, saeculares ludos centesimo decimo quoque anno fuisse peractos. Favere certe non parum huic opinioni videtur Horatius Carm. saecul. Epod. 14. dum canit:

Certus VNDENOS DECIES per ANNOS
Orbis ut cantus, referatque ludos.

At vero id opinatum ex ipsorum Quindecemvirum fraude manasse creditur: qui, cum neglecta per aliquod tempus illa celebritas fuisset, ne sua incuria patefieret, persuaserint Augusto non ante decimum ac centesimum annum eam repeti debuisse, idque ipsum suis commentariis eadem aetate conscriptis mandaverint. Hanc igitur fuisse vulgati erroris causam.

Profecto frequentes admodum sunt scriptorum auctoritates, quibus et saeculum non ultra centum annos excur-

Cum igitur huiuscemodi celebritatis tempus appeteret, sedentes illi pro suggestu ante Iovis Capitolini, atque Apollinis Palatini templa populo piamenta (taedas, sulphur, et bitumen) distribuebant, eaque ratione eum, et expiabant, et ad proximos ludos comparabant. (Zosim. II. 5.) Tum vero per tres ipsos ludorum dies sacris faciundis operam navabant.

§. V.

De Epulonibus.

I. Quando primum in rempublicam invectum fuerit hoc aliud sacerdotum genus, EPVLONVM nomine, aperuit Livius XXXIII. 42. *Romae*, inquit, *eo primum anno* (scilicet DLV.) *Triumviri Epulones facti sunt.*

Vnde intelligis, quo principio exstiterint. Sed

---

risse, et saeculares ludos saeculo statim elapso iterari consuevisse comprobatur. Aperta de hoc sunt verba Livii ex Lib. CXXXVI. apud Censorinum: *Eodem anno ludos saeculares Caesar ingenti apparatu fecit; quos CENTESIMO QVOQVE ANNO, is enim terminus saeculi, fieri mos est.* Hinc Claudianus de consul. Honor. cecinit:

. . . Iam flavescentia CENTVM
Messibus aestivae detondent Gargara falces:
Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos
Circum flexa rapit CENTENVS saecula consul

Haud absimili ratione Festus: *Saeculares ludi apud Romanos post centum annos fiebant, quia saeculum in centum annos tendi existimabant.* Alios plures omittimus.

postea septeni (fortasse a Sulla plurium collegiorum amplificatore) effecti. Memorantur hoc numero a Gellio I. 12. Idem patet ex hoc Lucani I.

Septemvirque epulis festus, Titiique sodales.

Quam autem ob rem ad eos creandos ventum sit, palam fit per Tullium III. de Orat. 19. his verbis: *Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros Epulones esse voluerunt.* Nimirum, ut ibidem statim indicatur, ludorum epulare sacrificium, quod ad pontifices adhuc pertinuerat, Epulonum exinde ad id institutorum curae mandatum fuit.

§. IV.

De Festialibus.

I. A Numa factos primam fuisse Fetiales auctor est Dionisius p. 131. Quorum collegium e viginti aliquando constitisse fertur.

II. Fetialia iura fuerunt, indicendorum bellorum, et foederum icendorum.

Quibus in rebus monere primum subit, eum Fetialem, qui bellum indicebat, *Patrem Patratum* fuisse nuncupatum (quod constat a Livio I. 32. atque a Servio ad IX. Aeneid. 53.); ipsum porro Patrem Patratum, cum foedus percutiebatur, praefuisse, illudque iureiurando confirmasse, teste eodem Livio I. 24. qui totam eo in genere teneri solitam rationem ita declarat: *Fetialis erat M. Valerius. Is PATREM PATRATVM Sp. Fusium fecit, verbena caput capillosque tangens: (PATER PATRATVS ad iusiurandum PATRANDVM, id est sanciendum fit) foedus, multisque id verbis . . . . . peragit.* Itaque ab alio Fetiali, et quidem, uti videtur,

de collegii sententia, Pater Patratus ad rem praestandam creabatur: qui tamen, dum eiusmodi titulo esset ornatus, Princeps Fetialium habebatur, quo eum vocat nomine Servius l. I.

Quamquam autem Pater Patratus, ut unum praeterea verbum de eo addamus, dictus ob id videri ex Livio potest, quod ad iusiurandum patrandum fieret, satius tamen ex eo appellatus creditur, quod *patraretur*, videlicet crearetur.

II. Iam indicendi belli haec ratio fuit. E Fetialibus unus pluresve ad populum, unde illata iniuria fuerat, res repetitum ibant; eaque ibi gerebant, quae refert Livius I. 32. quem locum huc totum, utpote maxime idoneum, conferendum esse putavimus. Sic igitur is habet: *Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (filum* (37) *lanae velamen est) AVDI IVPITER, inquit, AVDITE FINES (cuiuscunque gentis sunt, nominat), AVDIAT FAS. EGO SVM PVBLICVS NVNTIVS POPVLI ROMANI: IVSTE PIEQVE LEGATVS VENIO, VERBISQVE MEIS FIDES SIT. Peragit deinde postulata; inde Iovem testem facit; SI EGO INIVSTE, IMPIEQVE ILLOS HOMINES, ILLASQVE RES DEDIER NVNTIO POPVLI ROMANI MIHI EXPOSCO, TVM PATRIAE COM-*

(37) Vides heic filo lanae caput Fetialium devinctum. Vnde noscere licet, quam verum sit, quod docuit Mazochius Addit. ad Voss. Etymol. scilicet Fetialium nomen ab Hebraico פתיל *phatil,* quod est *filum contortum,* seu vitta, fuisse derivatum. Ex quo et illud colligi recte datur, non aliam, pro origine, *Fetialis* esse, quam *Flaminis* appellationem, quippe quae ipsa a *filo*, quod postea videbitur, desumpta fuerit.

POTEM ME NVNQVAM SINAS ESSE. Haec cum fines supra scandit, haec quicunque ei primus vir obvius fuerit, haec portam ingrediens, haec forum ingressus, paucis verbis carminis, concipiendique iurisiurandi mutatis, peragit. Si non deduntur, quos exposcit, diebus tribus et triginta (tot enim sollemnes sunt) peractis, bellum ita indicit: AVDI IVPITER, ET TV IVNO, QVIRINE, DIIQVE OMNES CAELESTES, VOSQVE TERRESTRES, VOSQVE INFERNI AVDITE. EGO VOS TESTOR, POPVLVM ILLUM (quicumque est nominat) INIVSTVM ESSE, NEQVE IVS PERSOLVERE, SED DE ISTIS REBVS IN PATRIA MAIORES NATV CONSVLEMVS, QVO PACTO IVS NOSTRVM ADIPISCAMVR.

His actis reversoque Romam Fetiali, consulebantur patres, primusque legatus ipse, quid faciendum foret. Et si de suscipiendo bello maior pars consensisset, hastam ille ferratam, aut sanguineam praeustam ad populi, de quo res erat, fines ferebat, ac post indictum certo carmine bellum, eandem illuc emittebat. Atque haec denuntiatio belli fuit: quae ipsa vocata *clarigatio*, quoniam clara voce res agebatur. (Plin. XII. 2. et Serv. ad IX. Aeneid. 53.).

III. Feriendi porro foederis formam accipe traditam a Livio I. 24. Fetialis, postquam leges fuerant recitatae: *AVDI*, *inquit*, *IVPITER, AVDI PATER PATRATE POPVLI ALBANI, AVDI TV POPVLVS ALBANVS: VT ILLA PALAM PRIMA POSTREMA EX ILLIS TABVLIS CERAVE RECITATA SVNT SINE DOLO MALO, VTIQVE EA HEIC HODIE RECTISSIME INTELLECTA SVNT;*

ILLIS LEGIBVS POPVLVS ROMANVS PRIOR NON DEFICIET, SI PRIOR DEFEXIT PVBLICO CONSILIO, DOLO MALO, TVM ME DIESPITER POPVLVM ROMANVM SIC FERITO, VT EGO HVNC PORCVM HODIE FERIAM: TANTOQVE MAGIS FERITO, QVANTO MAGIS POTES, POLLESQVE. Id ubi dixit, porcum *saxo silice percussit.*

IV. Ad ambo haec sua fungenda munia Fetiales verbena quoque fuisse coronatos legimus. Hoc pacto XII Aeneid. 120.

Velati lana (38), *et VERBENA TEMPORA VINCTI.*

Ad quem locum Servius: *Verbena*, inquit, *est proprie herba sacra, ros marinus, ut multi volunt, id est,* λιβανωτὶς, *sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Fetiales, et Pater Patratus foedera facturi, vel bella indicturi. Abusive tamen verbenas vocamus omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva, vel myrtus.* Congruit ad haec mirifice, quod affert Festus. *Sagmina dicebant erbas verbenas; quia ex loco sancto arcebantur, legatis proficiscentibus ad foedus faciendum, bellumque indicendum.* Vide quoque Livium XXX. 43.

V. A memoratis Fetialium officiis illud manavit, ut eorum esset causas ad bellum pacemque pertinentes cognoscere; ac omnino providere, tum ne bellum iniuste inferretur, tum ut pacis leges absolutissime servarentur. (Dionys. p. 131.)

---

(38) Ita multo potius legendum esse videtur, quam quod vulgo habetur, *lino*: neque enim linea seu vitta, seu vestis Fetialium fuit; at certe lanea taenia, uti ex Livii loco prius allato apparet.

§. VII.

De Sodalibus Titiis, Fratribus Arvalibus, Et Rege Sacrorum.

Tria non maximae molis simul heic proponimus sacerdotia, SODALIVM TITIORVM, FRATRVM ARVALIVM, et REGIS SACRORVM: quae facile fuerit omnia paucis expedire.

I. SODALES TITIOS *retinendis Sabinorum sacris quondam institutos a T. Tatio* scripsit Tacitus Annal. I. Eosdem eo mortuo per Romulum confirmatos, ipsiusque memoriae sacratos non obscure indicat Idem Hist. I.

Etsi vero illos ab ipso Sabino rege nomen habuisse videri queat, tamen Varro a *titiis* avibus, quae fuere palumbes, censuit appellatos, cum ita literis tradidit IV. L. L. 15. *Sodales Titii dicti ab Titii avibus, quas in auguriis certis observare solent.*

II. FRATRES ARVALES ex hac profecti causa feruntur. Cum Accae Larentiae Romuli nutricis unus e duodecim liberis obisset, Romulos pro eo filium se se ei dedit, omnesque una secum *Fratres arvales* nuncupari, certoque sacerdotio fungi iussit. Ita duodenarium hoc collegium institutum. (Gell. VI. 7.).

Eorum erat sacra pro agrorum fertilitate facere. Cui muneri consentiebat apprime insigne, quo sunt exornati, CORONA SPICEA, quam alba vitta colligabat: quam ipsam ex universis coronis primam fuisse apud Romanos usurpatam asserit Plinius XVIII. 2.

III. REGIS SACRORVM, sive SACRIFICVLI hanc

Livius II. 2. prodit originem: *Quia quaedam sacra per ipsos reges* (iam Roma eiectos) *factitata erant, necubi regum desiderium esset, Regem Sacrificulum creant.*

Eum pontifici max. subiectum esse voluerunt, *ne* (quod statim ibi subdit historicus) *additus nomini honos aliquid libertati, cuius tunc prima erat cura, officeret.* Quod ipsum in causa fuisse credimus, quare nullum posset ille gerere magistratum; et si quem, antequam inaugararetur, obtineret, se se prius illo abdicare necesse ei foret. (Vide Livium XL. 42.) Huc denique referenda consuetudo est, qua (teste Plutarcho Quaest. Rom. 63.) traditum a maioribus fuerat, ut ipse post sacra ante comitium peracta, statim se se illinc fuga proriperet.

Singulare autem in eo hoc fuit, quod iudiciis apud Pontifices actis interfuerit et ipse. (Cic. pro Dom. 49.).

Eiusdem uxor dicta *Regina sacrorum*. Quam et quibusdam sacris faciundis vacasse apparet e verbis Macrobii I. Saturnal. 15. *Etiam Regina sacrorum porcam, vel agnam in regia Iunoni immolat.*

§. VIII.

De Sacerdotibus Certorum Numinum Cultui Dicatis.

In ingenti sacerdotum numero fuere nonnulli, qui certos quique Deos peculiaribus officiis prosequebantur. Hoc munere functi FLAMINES, SALII, POTITII, PINARII, VESTALES.

I. FLAMINES vocati quasi *Filamines*, fuere a *filo*, quo cinctum gerebant caput. De hac originatione Varro IV. L. L. 15. *Flamines*, inquit, *quod . . . . caput vinctum FILO habebant, FLAMINES dicti.* In idem consentiunt alii. Et certe apud Gruterum p. 237. 6. integra sic vox legitur: FILAMEN. DIVAE. AVGVSTAE.

Tres primo instituti a Numa sunt, DIALIS, MARTIALIS, QVIRINALIS. (Liv. I. 20.) Tractu temporis ad quindenos crevere. Atque en tibi reliquorum nomina: VOLCANALIS, VOLTVRNALIS, PALATVALIS, FVRINALIS, FLORALIS, FALACER, POMONALIS, CARMENTALIS, VIRBIALIS, LAVRENTIALIS, LAVINALIS, et LVCVLARIS (39):

---

(39) Deorum Dearumque, quibus memorati Flamines ad decem sacri fuerint, nomina haec traduntur, *Vulcanus*, *Vulturnus flumen*, *Palatua*, *Furina*, *Flora*, *Falacer*, *Pomona*, *Carmenta*, *Virbius*, *Acca Larentia*. Duo vero postremi Flamines, quorum mentio fit in marmoribus, unde appellationes desumpserint, ignotum plane est. Verum praeter hactenus enumeratos Flamines, nominantur in monumentis alii, Imperatoribus Deorum coetui adscripsit, dicati. Primum Caesari hoc datum (Dio p. 243.)

quos enumerat Onuphrius Panvinius de Civit. Rom. 25.

Vbi ad tres primos additi alii fuerunt, inventum discrimen est, ut illi, utpote semper patricii, *maiores*, reliqui *minores* vocarentur. (Fest. v. *Maiores Flamines*).

Sacerdotes id genus comitii curiatis (uti indicatum per nos est Part. I. p. 92.) renunciabantur; id quod proprie prodi dictum. Ita apud Tullium pro Mil. 10. *Cum sciret . . . . iter . . . Miloni esse Lanuvium ad FLAMINEM PRODENDVM.* A populo autem delecti, inaugurabantur illi quidem non a suo collegio (quod nullum erat, cum sacrorum nulla inter eos societas esset), sed a Pontifice Maximo.

In causis apud pontifices habitis adfuisse et Flamines indubium est per Tullium pro Dom. 49.

De Apice, proprio Flaminum insigni, habitus iam sermo est p. 38. Qui cum omnibus communis esset, Flamini tamen Diali peculiaria addita sunt ornamenta Toga praetexta, et Sella cvrvlis. (Liv. I. 20. et XXVIII. 8.).

Hoc denique unum omittendum non videtur, Flamines, si quando ob noxam sacerdotio privarentur, *abiisse flaminio* dictos esse. Ita Livius XXVI. 23. *Claudius*, inquit, *Flamen Dialis, quod exta perperam dederat, FLAMINIO ABIIT.*

II. Salii sacerdotes fuerunt duodecim a rege Numa Marti mancipati. (Livius I. 20.). Numerum dein geminavit Tullus Hostilius. (Dionys. p. 193.) In quorum collegium (cui qui praeerat, *Magister* vocatus) cooptari non potuisse, nisi praticios, eosdemque patrimos, matrimosque, testatur idem historicus p. 130.

Praecipua eis cura erat *Ancilium*, scilicet duodecim scutulorum, quae (ita nuncupata, quasi *ancisa*, quod undelibet rotundata nullo angulo exuberarent) in Martis templo summa religione servabantur. Iam tota res hoc pacto exorta Regnante Numa fama fuit Ancile unum de caelo decidisse: cumque de eo consulti haruspices respondissent, illic fore orbis imperium, ubi illud constitisset, undena alia facta sunt, ne unquam illud internosci posset, ac surripi. (Dionys. 130. et Plutarch. in Num.).

Illa mense Martio a Saliis per urbem saltantibus non minus triginta dies circumferebantur, per quod tempus proprio vocabulo *moveri* dicta. Toto autem eo dierum spatio quidquam publice geri, scilicet parari arma, moveri castra, aut simile quid agi ominosum habebatur. Hinc est illud Livii XXXVII. 33. *Stativa deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt: quia dies forte, quibus ANCILIA MOVENTVR, religiosi ad iter inciderent*. Eodem recidit illud Taciti Histor. I. *Fuere, qui proficiscenti Othoni moras religionemque NONDVM CONDITORVM ANCILIVM afferrent.*

Per eiusdem celebritatis dies *Saliare carmen* a Saliis canebatur; cui et *Axamentorum* nomen inhaesit, quippe quod esset in axibus, sive tabulis exaratum. Eius, quod ab auctoris Numae regno ducebat aetatem, mira visa est consecutis temporibus obscuritas. Itaque Horatius II. Epist. 1. ait:

Iam Saliare Numae carmen qui laudat, et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri, etc.

Continebat autem illud plurius Deorum laudes

Quibus tamen additus etiam est Mamurius ancíliorum artifex, praemii loco. De qua re ita Ovidius Fast. III:

Tunc sic Namurius: merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine nostra sonent.
Inde sacerdotes operi promissa vetusto
Praemia persolvunt, Mamuriumque canunt.

Idem concessum postea Augusto fuit, ut eius nomen Saliari carmini inferretur, teste Dione p. 457. Quod et nonnullis dein aliis datum Imperatoribus.

Insignia Saliorum erant Tunica picta, Balteus aereus (quem *aeneum pectori tegumen* vocat Livius I. 20.) Gladius, Hasta (vel quid simile), et Apex: queis omnibus ornati erant, cum ancilia gestarent.

III. Potitii, et Pinarii, sacerdotes Herculis fuerunt: quos ipse, cum apud Evandrum ageret, sibi instituisse ferebatur. Non autem utrorumque una eademque exstitit conditio. Etenim cum eos Hercules ritus sacris adhibendos edocuisset, cumque iam ad sacrificium peragendum praesto Potitii fuissent, Pinarii diutius morati, adesis extis ad reliquam dapem venerunt. Quam ob noxam multati ea poena sunt, ut in communi ministerio Potitiis inferiores essent, neque extorum unquam fierent participes (Liv. I. 20, et Dionys. p. 129).

Potitios vero ipsos, cum multas post aetates sacerdotii sui munia servis publicis tradidissent, omnes ad unum quasi ira Superum interiisse tradit ibidem Livius, ac iterum IX. 29.

IV. Vestales a Numa primum quatuor fuerunt Vestae cultui dicatae. Duas exinde alias ad

iecit, sive (ex Dionysii relatu p. 199.) Tarquinius Priscus, sive (prout habet Plutarchus in Num.) Servius Tullius.

Post reges, munus *capiendi*, i. e. legendi Vestales ad Pontificem Maximum pertinuit. Id autem ita fiebat lage Papia, ut Pontifex ipse viginti ex universo populo virgines patrimas, ac matrimas, non minores senis annis, nec denis maiores deligeret; e quibus deinde in concione per sortem, una sacro ministerio addicebatur. (Gell. I. 12.).

In Atrio Vestae vivebant: de quo facta mentio per nos est Part. I. p. 33. Atque earum erat, tum sempiternum ignem, tum fatale imperii pignus (quod vocat Livius XXVI. 27.) servare, quae ambo nos ibid. p. 32. et seq. memoravimus; tum denique sacra facere.

Plura Vestalium fuere privilegia. Etenim poterant vivente adhuc patre condere testamentum: reum morti addictum, cui inopinato occurrerent, morte liberabant: pilento, et carpento (de quibus actum Par. I. p. 340. et seqq.) plerumque utebantur: lictorem praceuntem habebant: de publico alebantur: ludos loco honestissimo spectabant, ut dictum ibid. p. 278.

Ornamenta earum erant VITTAE, queis caput redimitum, et LIMBVS PVRPVREVS, quo alba vestis instructa.

§. VIII.

De Sacerdotum Ministris.

Qui operam sacerdotibus in sacram rem praestabant, variis nuncupati nominibus fuerunt, vi-

delicet KALATORES, PRAECIAE, CAMILLI, FLAMINII, VICTIMARII, POPAE, TIBICINES, TVBICINES, FICTORES, AEDITVI.

I. Quale fuerit KALATORVM munus aperit Servius in I. Georg. 268. his verbis: *Pontifices sacrificaturi praemittere Kalatores suos solent, ut sicubi viderint opifices assidentes, opus fieri prohibeant, ne pro negotio suo et ipsorum oculos, et Deorum caeremonias contaminent.*

II. Idem plane genus, eademque causa officii erat, quo fungebantur PRAECIAE: *Qui* (prout inquit Festus) *a flaminibus praemittebantur, ut denunciarent opificibus, manus abstinerent a opere; ne, si vidisset sacerdos facientem opus sacra polluerentur.*

III. CAMILLOS dixere pueros patrimos ac matrimos in sacris ministrantes. Vocatos hoc eos nomine non alia de causa fuisse ait Festus (v. *Flaminius Camillus*) nisi quod generatim pueri antiquitus appellati *Camilli* fuerint: ad quam rem comprobandam testimonium ex antiquo affert carmine, ubi pater filium haec addocet:

Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra,
Camille, metes.

At Servius in XI. Aeneid. 542. *Camilli* appellatione ministrum fuisse denotatum scribit, eaque de causa Mercurium, utpote Deorum Ministrum *Camillum* apud Hetruscos audivisse. In idem congruunt, quae habet Macrobius III. Saturnal. 8. et Dionysius p. 93.

IV. FLAMINII item pueri patrimes matrimesque erant; qui singuli tantum Flamini Diali ministrabant. Eodem pacto quae puella Flaminicae Diali sacra peragenti aderat, FLAMINIA et ipsa vocata fuit.

V. Inter VICTIMARIOS, et POPAS id discri-

minis fuisse creditur, quod illi victimas adducerent, ac molam, cultrum, et quidquid aliud ad sacrum necesse foret, pararent; hi vero victimas mactarent. Verum ut haec diversitas extiterit, non tamen eam perpetuam adeo fuisse remur, ut non aliquando promiscue nomina sumerentur. Ceterum qui hostias immolabant, *Cultrarii* etiam dici.

Illustris est de Victimariis locus Livii XL. 29. sic habens: *Libri in Comitio, igne a Victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt.*

VI. Inter reliquos sacerdotum ministros recensiti eo sunt Tibicines, quod tibiarum sonus sacris maxime adhiberetur: unde est, ut a Plinio XVI. 36. *tibiae sacrificae* dicantur. Quae quoniam vel ex ebore, vel e buxo, quemadmodum et ex alia fieri materia solebant, ea de causa cecinit Maro II. Georg. 193.

Inflavit cum pinguis Ebur Tyrrhenus ad aras.

Et IX. Aeneid. 619.

Tympana vos, Buxusque vocat Berecynthia matris
Idaeae.

VII. Cum vero tubas etiam in rem sacram immitti placuisset, propteréa in ejusdem ministerium fuerunt quoque Tvbicines vocati.

VIII. Fictorvm porro fuit, hostias e cera, vel e farina fingere, quae pro veris ad sacra adhiberentur. Id autem fiebat, cum aut egestas, aut alia causa victimas, quae immolandae forent, haberi non sineret. Atque ea de re legitur apud Festum: *Tauri, Verbenaeque in Commentario sacrorum significat FICTA FARINACEA*: quorum verborum haec, uti videtur, est sententia, per *tauros*, et *verbenas*, quae in commentario sacrorum nominarentur, fuisse *ficta*

farinacea significata, quippe pro illis solita, nonnunquam usurpari.

IX. Aedituus dicebatur sacrae aedis custos. Cuius vocabuli prima forma fuit *Aeditimus*; inde effictus *Aeditumus*, postea *Aedituus*. Harum autem formarum primigeniam illam, unde dein reliquae derivatae, non ex alio, quam ex *aede* desumptam crede; non vero quod fuerit ille *aedis intimus*, uti scripsit Festus. Recte igitur habetur apud Tullium in Topic. 8. *In Aeditimo non plus inesse timum, quam in meditullio tullium*; quippe cum sit ea mera nominis productio.

Sectio III.

De Vasis, Instrumentisque Sacris, Ac De Hostiis.

Ad sacrificia inspicienda mox accessuri, optimum factu erit, si prius tum Vasa, et Instrumenta, quorum erat in illis usus, tum quaecunque ad Hostias ipsas spectant, fuerimus perscrutati.

§. I.

De Sacris Vasis, et Instrumentis.

Attributa sacrificiis Vasa et Instrumenta erant Acerra, Tvribvlvm, Praefericvlvm, Candelabra, Simpvlvm, Gvttvs, Patera, Capis, Capedo, Patellae, Lances, Olla, Mallevs, Secvris, Cvltri, Secespita, Aspergillvm; Anclabris.

I. Acerram vocavere arculam turariam. Eius ad sacra usum declarat Ovidius IV. de Pont. 8. dum canit:

Nec quae de parva pauper Diis libat Acerra
Tura minus, grandi quam data lance, valent.

II. Tvribvlvm vas erat, ubi tus incendebatur. Hinc Livius XXIX. 14. ubi de Matris Idaeae invectu in urbem agit: *Turibulis*, inquit, *ante ianuas positis, qua praeferebatur, atque accenso ture.*

III. Praefericvlvm, prout deformatur a Festo, vas aeneum pelvis instar fuit, ansarum expers. Eo res sacrae *praeferebantur*; unde factum nomen. Verum ad unius modo Opis Consivae sacrificia fuisse id adhibitum testatur idem scriptor.

IV. Candelabra, e quibus rei divinae paratum decus, forma ab iis, queis nostra templa ornantur, haud absimili fuerunt. In illis item figebantur candelae, quae factae e funiculis cera convestitis; vel ut posterior tulit; aetas, ex papyro, qua cera pariter amiciebat.

V. Vasculum, quo, vinum in sacrificiis libabatur, scilicet a sacrificantibus degustabatur, SIMPVLVM dictum fuit, itaque Varro IV. L. L. 26. *Quo*, inquit, *sumebant minutatim, a sumendo Simpulum nominavere.* Verum magis ad Hebraeo ספל *Sephel*, quodvis vinarium vas significante, appellationem illi factam esse, iam pro comperto habetur. Ceterum simpulo *Simpuvii* etiam nomenclatura accessit. Fictile id vasis genus esse suevit.

VI. Vas vero, quo guttatim vinum fundi mos fuit, GVTTVM appellaverunt. Faginum nobis ipsum obiicit Plinius XVI. 38. cum inquit: *Manius Curius iuravit se ex praeda nihil attigisse, praeter Guttum faginum, quo sacrificaret.*

VII. At quo vase vinum large effundebatur, fuit id PATERA. Indicat morem Virgilius V. Aeneid. 98. cum ait:

Vinaque fundebat Pateris, animamque vocabat
Anchisae magni.

VIII. E sacra quoque supellectile fuit CAPIS, vas ansatum. De eo sic Varro IV. L. L. 26. *Capis*, inquit, *et minores Capulas a capiendo; quod ansatae, ut prehendi possent, idest capi. Harum figuras in vasis sacris ligneas, et fictiles antiquas etiam nunc videmus.* Eiusdem mentio fit a Livio X. 7. in haec verba: *Si conspiciatur cum Capide ac lituo; capite velato victimam caedat, auguriumve ex arce capiat.*

IX. A capide quanam re dissimilis CAPEDO fuerit, non facile dixeris, nisi fortasse magnitudine; quippe quae ipsa et ansata, et a *capiendo* dicta. Antiquissimam certes eam fuisse in sacris significat hoc Tullius I. Parad. 3. *Quid? a Numa Pompilio minus ne gratas Diis immortalibus Capedines ac fictiles urnullas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur?*

X. Capulatum autem propè eandem formam prae se tulere PATELLAE, quas et in sacrificiis obtinuisse locum, tradidit Festus. Sed et Varro (apud Nonium XV. 6.) testatur, in ipsis solitas fuisse dapes Laribus apponi: qui ea de caussa *Dii Patellarii* dicti.

XI. LANCES praeterea, quibus vel tus, vel exta ad aras afferrentur, fuisse in sacris usurpatas, aliunde postmodum innotescet.

XII. OLLA sacris eum usum praebuit, ut ibi victimarum exta coquerentur; id quod constat a Livio XLI. 19.

XIII. MALLEO, aut SECVRI victima percutiebatur. Vtriusque figuram in apposita tabula intuebere.

XIV. CVLTRI praeterea, quos vagina inclusos, laterique aptatos gerebant popae, ad victimam jugulandam, et ad sacra alia, suo loco videnda, ministeria usui erant.

XV. SECESPITA dicitur apud Festum fuisse culter ferreus oblongus manubrio eburneo, quo flamines, virgines, flaminicae, ac pontifices ad sacrificia uterentur.

XVI. ASPERGILLI vocabulo, novo eo quidem (nullo, quod sciatur, a germana latinitate in hanc rem tradito) id instrumenti genus indicatur, quo spargi aqua lustralis solebat. Ipsius ea erat forma, ut e manubrio pili equini, quibus fieret aspersio, exsisterent: qualem et in proxima tabula dabitur conspicari.

Verum extra dubium est fuisse tempus, quo, pro hoc instrumento, ramo vel oleae, vel lauri usi fuerint. Itaque apud Maronem Aeneid. VI. 229.

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, et ramo felicis olivae.

XVII. ANCLABRIS ex Festo fuit Mensa *mini-*

steriis divinis apta. Dictam ab *anclare*, quod idem fuerit, atque *anculare*, scilicet ministrare, observatum per eruditos est. Eodem de fonte suam est credibile hausisse appellationem *anclabria*, quae ibid. Pompeius memorat, vasa aenea, quibus Sacerdotes utebantur.

§. II.

De Hostiis.

I. Quod vulgo inter *Hostias*, et *Victimas* afferri discrimen solet, ut illae fuerint animalia minora, uti oves, hae maiora, uti tauri, non id perpetuum fuisse, quin immo saepe haec nomina promiscue fuisse adhibita compertum est.

Vtriusque porro vocis passim et ipsa obiecta veriloquia, quae ambo quidem prorsus eodem recidunt (cum et *Hostiae* dictae ferantur ab *hostibus* victis, et *Victimae* a *victis* hostibus), ea iampridem mandavit literis Ovidius Fast. I. per haec dicta:

> *Victima, quod cecidit dextra victrice, vocatur:*
> *Hostibus a victis Hostia nomen habet.*

Quam tamen postremam magis ab antiquo *hostire* (i. e. ferire) derivatam credidit Festus.

II. Iam Hostiae, ut sacris idoneae haberentur, *probari* antea diligenter debebant: quae probatio in eo erat, ut exploraretur, num integrae perfectaeque omnino forent. Atque huc pertinent vocabula, quibus earum praestantiam declarantibus frequenter illae *lectae*, *eximiae*, *egregiae* nuncupatae; quippe quae probantium iudicio e reli-

quo grege legerentur eximerenturque. Ita apud Maronem VI. Aeneid. 38.

. . . . *Septem mactare iuvencos*
Praestiterit, totidem LECTAS de more bidentes.

Et IV. Georg. 550. itidem in rem sacram:

Quattuor EXIMIOS praestanti corpore tauros
Ducit.

III. Ad maius praeterea decus solebant hostiarum et inaurari cornua, et capita taeniis exornari. Qua de causa cecinit Tibullus IV. 1.

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Et Virgilius IX. Aeneid. 627.

Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum
Candentem.

Tum apud eundem II. Aeneid. 156.

. . . . *Vittaeque Deum, quas hostia gessi.*

IV. Id vero cum primis, quo hostia grata foret, advertebatur, num, cum eam ad aram ducerent, reluctaretur: renitentem enim amoveri oportebat, quippe quae invito Numini offerri crederetur, prout declaravit Servius II. Georg. 395. Ex eo autem, quod reluctata victima esset, dirum aliquod portendi existimabant. Nec vero minus tristia timebantur, si quando stans iam ad aram hostia profugisset; id quod *auspicium piaculare* vocaverunt. (Fest. v. *Piacularia auspicia*) Tale omnino illud a Lucano VII. allatum:

Admotus Superis discussa fugit ab ara
Taurus.

V. In more etiam fuit positum, ut aptae cuique Deorum generi victimae mactarentur, albae nimirum superis, nigrae inferis. Alterum horum habes in paullo ante producto Maronis loco IX. Aeneid. 627. ubi de sacro in honorem Iovis faciundo agitur. Alterum testatur praeter alios idem

poeta pluries, ut VI. Aeneid. 249.

. . . . *Ipse atri velleris agnam*
Aeneas matri Eumenidum, magnaeque sorori
Ense ferit.

Neque vero coloris tantum, sed numeri etiam pro utrisque Diis servandum discrimen fuit: quandoquidem impares hostias caelestibus, pares tartareis immolari statutum erat. Hac ratione V. Aeneid. 96. Aeneas patri, tanquam caelesti Numini,

. . . . . . *Caedit quinas de more bidentes.*

At VI. Aeneid. 243. ubi inferis Diis mactandum fuit:

Quatuor hic primum nigrantes terga iuvencos
Constituit.

VI. Variis ob certas causas donatae fuerunt victimae cognominibus, vocataeque *Ambarvales*, *Animales*, *Harvigae*, *Iniuges*, *Lactentes*, *Maiores*, *Mediales*, *Piaculares*, *Praecidaneae*, *Prodiguae*, *Succidaneae*.

1. *Ambarvalem* cognominarunt hostiam, quae pro novis frugibus immolanda, prius circum arva a fratribus arvalibus (de quibus p. 133) ducebatur. Obiicit rem Maro I. Georg. 345. sic canens:

Terque novas circum felix eat hostia fruges.

2. *Animalis* dicta fuit, quae non ad id caedebatur, ut per eius exta voluntas Deorum agnosceretur, sed tantum ut eius anima (i. e. vita) Numini offerretur. Atque huc revocanda sunt verba Entelli iam iam taurum mactaturi apud Virgilium V. Aeneid. 483. cum inquit:

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo.

3. *Harviga*, prout explicat Festus, vocata hostia, cuius exta inspiciebantur. Vox derivata vi-

detur a Greco Α'ῤξ *aries*; ut primitus non aliam hostiam, quam arietem denotarit, at postea pro quavis alia, e cuius extis auspicia iidem captarentur, fuerit adhibita.

4. *Iniuges* fuere, quae iugum nondum subiverant. Huius generis profert illas Virgilius VI. Aeneid. 38.

. . . *Intacta totidem cervice iuvencos.*

5. *Lactentes* hostias tunc immolari solitum fuisse asserit Servius XII. Aeneid. 170. cum de rebus, quas augeri confirmarique vellent, ageretur. Eas memorat hoc pacto Livius XII. 1. *Decretum, ut ea prodigia partim maioribus, partim lactentibus hostiis procurarentur.*

6. *Maiores*, quae lactentibus opponantur, grandes natu fuisse per se patet. Hae vero, tanquam senes decrescentesque iis maxime in rebus immolabantur, quarum celer finis exoptaretur, ut ibidem Servius testatur.

7. *Medialem* nuncupatam declarat Festus hostiam atram, quae meridie mactaretur.

8. *Piaculares* vocatae, quas ad piacula luenda caedi mos erat. Meminit de his Plinius Paneg. 34.

9. *Praecidaneae* appellabantur hostiae, quae solebant ante sacrificia sollemnia pridie mactari. (Gellius IV. 6.) Ac sortitae quidem illae nomen a *praecedendo* fuerunt: ex quo ipso *Praecidaneae feriae* nuncupatae, quae diebus festis praeirent. Extitit autem in primis *praecidanea porca*, *quam* (ex eiusdem scriptoris relatu) *piaculi gratia ante fruges novas fieri coeptas immolari Cereri mos fuit, si qui familiam funestam aut non purgaverant, aut aliter eam rem, quam oportuerat, procuraverant.*

10. *Prodiguas* porro nuncupari placuit, quae *prodigerentur*, totae scilicet absumerentur.

11. *Succidanearum* denique ea ratio fuit, ut si primis litatum non foret, ipsae succederent.

Sectio IV.

De Sacrificiorum Ritibus.

Quaecumque ad sacrificia peragenda necesse forent, perspectis satis, commodum nunc est Ritus eisdem adhiberi solitos perlustrare.

§. I.

De Rebus Ante Sacrificium Accuratis.

Vt sua faciundo sacro religio constaret, plura fuerunt, quae antequam illud inchoaretur, curari oportuit.

I. Inter haec unum erat, ut pura cuncta essent, vestes, vasa, vinum, omni videlicet vel macula, vel vitio expertia. Exstant in res singulas scriptorum testimonia. Ita Tibullus II. 1. Inquit:

Casta placent superis, PVRA cum VESTE venite.

Plautus in Amphitr. V. 1.

VASA PVRA iube actutum adornari mihi,

VT Jovis supremi hostiis pacem expetam.

Et Ovidius III. de Pont. 1.

Sed prius imposito sacris altaribus igne.
Tura fer ad magnos, PVRAque VINA Deos.

II. In primis vero mundas sacrificantium manus sacrorum ratio postulabat: quam propterea studiose abluere curae erat, et non alia eas quidem, quam aqua viva, videlicet perenni et naturali, prout observavit Servius. II. Aeneid. 718. Quare Ovidius Fast. IV. cecinit:

His Dea placanda est: haec tu conversus ad aras
Dic quater, et VIVO PERLVE RORE MANVS.

Atque hinc mos praefandi fuit, ut qui manibus immundis essent procul a sacris haberentur. Declarant rem dicta apud Livium XLV. 5. *Cum omnis praefatio sacrorum eos, quibus non sint purae manus, sacris arceat.*

Nec manus modo, sed pedes quoque elui consuevisse creditur. Ex quo ductum videtur proverbium: *illotis manibus, et pedibus*, in eum, qui imparatus opus aggrediatur.

III. Non minus porro grave instituti genus illud fuit, quo flagitiosi homines a sacris, atque a templo abesse iubebantur. Huc spectant Ovidii verba Fast. II.

Innocui veniant, PROCVL HINC, PROCVL IMPIVS ESTO.

Nec alio fere sensu apud Virgilium VI. Aeneid. 258.

. . . PROCVL, O, PROCVL ESTE PROFANI,
Conclamat vates, TOTOQVE ABSISTITE LVCO.

Vbi tota interdictio in Aenae socios, non ante, ut ducem ipsum, expiatos intenditur.

Extra dubium tamen est, saepius *profanos*, qui sacrae rei interesse prohibiti, dictos eos fuisse, qui sacris, ad quae initiatis tantummodo dabatur aditus, initiati ipsi non essent. Huius generis profanos Graeci vocavere ἀμυήτους, atque βεβήλους; quos et ipsi a sacrorum communione amovebant. Eiusmodi autem sacra, quorum ii solum, qui eorundem fuissent rationem edocti, participes esse poterant, fuerunt Cereris, Bacchi, Cybeles; quae quoniam aliis evulgare nefas erat, hinc et *mysteria*, et *sacra seclusa* appellari mos fuit. (Fest. v. *Seclusa*).

IV. Indignis abire iussis, inde illis qui aderant silentium imperabatur ea formula: FAVETE LINGVIS. Quam sic ab Aenea sollemnia indicente prolatam refert Maro V. Aeneid. 71.

ORE FAVETE omnes, et cingite tempora ramis.

Eandem porro ad rem poëticam transtulit hoc pacto Horatius III. Od. 1.

Odi profanum vulgus, et arceo,
FAVETE LINGVIS: carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos
Virginibus, puerisque canto.

Huiusce autem carminis non ea vis fuit, ut silentium omnino fieret, sed ut profanis verbis sepositis, bona modo atque ad sacrificium congruentia dicerentur. Patefacit id praeter alios Tibullus II. Eleg. 2.

Dicamus BONA VERBA, venit natalis, ad aras;
Quisquis ades, LINGVA vir mulierque FAVE.

§. II.

De Ritibus,
Caedem Victimae
Proxime Praecedentibus.

I. Ad sacrificium peragendum ignis maxime omnium necesse fuit. Itaque in ara eum accendere satagebant, in primisque, prout traditur, e lignis arboris Numini, cui sacrum fieret, dedicatae, cum sit illud notissimum fuisse suas certis Diis arbores consecratas, scilicet quercum Iovi, laurum Apollini, oleam Minervae, pinum Cybele, aliasque aliis.

II. In ignem tus mox coniici mos erat; idque certe ad maiorem vel pietatis, vel munificentiae significationem non exigua ferme copia. Hinc Aeneas apud Virgilium V. Aeneid. 744.

. . . . Canae penetralia Vestae
Farre pio, et PLENA supplex veneratur
ACERRA.

Quare si quando parcius hac in re actum, et vix pauca turis grana data deprehenderis, hoc et ad privata sacra, et ad pauperiorum conditionem referes. Tale est, quod profert Ovidius Fast. IV.

Dtis et in veteres TVREA GRANA focos.

Praeter tus vero, verbenae etiam (de quarum natura dictum p. 132.) comburi solebant. Quare cecinit Maro VIII. Ecl. 64.

Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta,
VERBENASque ADOLE pingues.

VI. Postremo decerpti aliquot e fronte victimae pili in ignem, quasi quaedam sacrificii primitiae, coniiciebantur. Expressum habes morem in hoc Maronis VI. Aeneid. 245.

Et summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imponit sacris libamina prima.

§. III.

De Caede Victimae, Reliquisque Ritibus.

I. Ad caedem iam tandem hostiae ventum est. Quae peragenda cum esset; popae interroganti, Agon? respondebatur a sacrificante, Hoc age. De quo instituto Ovidius Fast. I.

Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper, Agatne? rogat; nec nisi IVSSVS AGIT.

II. Accepto minister imperio hostiam mallei, aut securis ictu sternebat, tum cultro iugulabat. Quod solemnibus *feriendi*, aut *percutiendi*, vocabulis designatum: ut propterea nihil iis sit in sacra re frequentius apud scriptores. Ipsa autem victima *cadere* dicta persaepe est: quo pacto a Virgilio I. Aeneid. 338.

Multa tibi ante aras nostra CADET hostia dextra.

III. Caesae hostiae sanguinem pateris excipiendum curabant, qui mox circum aram effunderetur. Quare ex eiusdem poëtae testimonio VI. Aeneid. 248.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem

Suscipiunt pateris.

IV. Dissecta dein victima, consulebantur exta. Quae si laeta se se darent, *litatum esse* dicebant; secus vero, si tristia. Fuit autem *litare* ex Macrobio III. Saturnal. 5. *Sacrificio facto placare Numen.* Ad quod mire congruunt veterum hac de re loquendi genera. Ita apud Livium IX. 14 consul Papirius sacris peractis inquit: *LITATVM EST egregie: AVCTORIBVS DIIS, ut videtis, ad rem agendam proficiscimur.*

Ex huiusmodi litationis expectatione manavit mos, ut si per priores hostias non bene successisse videretur, aliae inde (*succidaneae* dictae, de quibus p. 150.), si forte litari posset, immolarentur. Huc in primis spectat locus Livii X LI. 19. *Territis eo prodigio patribus et alter consul curam adiecit, qui se, quod caput iecinori defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. Senatus MAIORIBVS HOSTIIS VSQVE AD LITATIONEM SACRIFICARI iussit. Ceteris Diis perlitatum ferunt, Saluti Petillium perlitasse negant.*

V. Exta porro ipsa lancibus in aras cremanda inferebantur. In hanc rem est illud Maronis II. Georg. 194.

Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.

Ad eandem extorum dationem designandam *porriciendi* vocabulum adprime sollemne fuit. De quo audi dicta a Varrone I. R. R. 29. *Quae est inter duos sulcos elata terra, dicitur PORCA, quod ea seges frumentum PORRICIT. Sic quoque exta Diis cum dabant, PORRICERE dicebant.* Ex quo etiam ductum proverbium illud est: *Inter caesa et porrecta*; quo designatum fuit medium aliquod tempus, per quod adversus quis casus turbare omnia valeret: qua ratione inter caesam victimam et porrecta exta fieri assolebat, ubi haec inspecta

male portendissent. Eo proverbio Tullius iam iam de sua provincia discessurus sic usus est V. ad Att. 18. *Ne quid inter CAESA ET PORRECTA, ut aiunt; oneris mihi addatur, aut temporis.*

VI. Nonnunquam totam concrematam fuisse victimam compertum est: quod Genus Graeci ὁλόκαυστον appellaverunt. Ad id refer verba Maronis VI. Aeneid. 253.

Et SOLIDA imponit taurorum VISCERA flammis.

Sunt enim *viscera* non exta modo, sed quidquid pelle obtegitur; ex quo et *visceratio* dicta, carnium distributio in sacris fieri solita. (Serv. in I. Aeneid. 215.).

De huiusmodi autem sive hostiae, sive extorum (quemadmodum etiam turis verbenarumque) exustione animadvertendum suppetit, eam non alio fuisse quam *adolendi* vocabulo significatam. Ita apud Virgilium III. Aeneid. 547.

Iunoni Argivae iussos ADOLEMVS honores.

Quod quidem factum, ut a male ominatis verbis abstinerent. Quare Servius in I. Aeneid. 708. *ADOLERE*, inquit, *proprie est augere. In sacris autem ADOLERE PER BONVM OMEN dicitur; nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur.*

VII. Iam ubi non tota victima uxureretur, carnium pars sacrificantibus cedebat; quam absoluto sacrificio ad epulas cum amicis habitas adhiberi mos fuit. Huius omnino generis illud est, quod refert Maro VIII. Aeneid. 179.

Tunc lecti iuvenes certatim, araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt, taurorumque, onerantque canistris
Dona laboratae Cereris; Bacchumque ministrant.

Vescitur Aeneas, simul et Troiana iuventus
Perpetui tergo bovis, et lustralibus extis.

Ex his vero carnis distributionibus, quae sacrificii causa factae, et quae, ut paullo ante dictum, *visceraliones* vocatae sunt, celeberrima omnium fuit, quae feriis Latinis fiebat, cum in monte Albano, re divina peracta, omnium Latini nominis populorum legatis caro caesae victimae impertiebatur. Memorandum de hoc est, quod affert Livius XXVII. 2. *Feriae Latinae pontificum decreto instauratae sunt, quod legati ab Ardea questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut assolet, datam non esse.*

Sectio V.

De Praecipuis Quibusdam Sacrarum Celebritatum Generibus.

Praeter sacrificia, quae Celebritatum non ultima habebantur, fuere et aliae: quarum si non illis maior, certe non minor inesse animis videbatur religionis opinio. Harum de numero quatuor nos huc conferemus, Dedicationes templorum, Supplicationes, Lectisternia, et Ludos sacros.

§. I.

De Templorum Dedicationibus.

Provisum per ethnicos illos homines sedulo fuerat, ut suae templorum Dedicationes (videlicet (40) Consecrationes) religiose simul et magnifice peragerentur.

I. Primum igitur ita veteris instituti ratio tulit, ut non fere nisi a consule, aut imperatore, viris nempe primariis, templa dedicarentur. Meminit de hoc Livius IX. 46. Vbi refertur etiam tanquam res a more plane aliena, quod C. Flavius aedilis curulis eadem Concordiae dedicavisset. Per quam occasionem, ne quid simile in posterum fieret, *latum ad populum est, ne quis templum aramve iniussu senatus, aut tribunorum plebis partis maioris dedicaret.* Ceterum alios quoque e magistratibus, censorem, praetorem, nec raro alterum e duumviris aedis locandae faciendae, dedicavisse patet. (Liv. XXXIV. 53. et alibi.)

II. In ipsa dedicatione pontifex praeibat (41)

---

(40) Quid inter *dedicationem* proprie sumptam, et *consecrationem* intersit, ample perdocteque explanavit Mazochius in suo in Amphit. Camp. Tit. Commentario p. 79. et seqq. Scilicet *dedicare* suopte ingenio est rem usui dicare, quod Graeci ἐγκαινίζειν dixere, ac posterior latinitatis aetas *encaeniare*. Sed enimvero quoniam in iis rebus, quae consecrabantur, ipsam statim consecrationem dedicatio sequebatur, ex eo manavit, ut haec illius etiam significationem sibi adiunxerit.

(41) Hic mos praeeundi verba non in dedicationibus

verba, ab eo, qui dedicationi praeerat, singula deinceps pronuntianda. In quo toto ea maxima cura erat, ut expedite omnia, clare, recteque proferrentur. Cuius rei exemplo sit, quod tradit Plinius XI. 37. *Metellum pontificem*, inquit, *adeo inexplanatae* (linguae) *fuisse accepimus*, *ut multis mensibus tortus credatur*, *dum meditatur in dedicanda aede Opis vera dicere*.

Dum verba praeibat pontifex, interim templi postes tenebat. Vnde est apud Tullium pro Dom. 62. sermocinatio illa Clodii ad dedicationem pontifices vocantis: *Ades*, *ades*, *Lucullc*, *Servili*, *dum dedico domum Ciceronis*, *ut mihi praeeatis*, *postemque teneatis*. Quo caeremoniae genere id adsignificatum ratus est Servius ad III. Georg. 16. quod iam aedes illa ab humano usu secreta, a Numine, cui dicabatur, teneri inciperet.

Quemadmodum vero ad iustam verborum pronuntiationem opus id erat, ut ne lingua balbutiret haereretque; ita ad rectam postium prehensionem requirebatur, ne manus contremisceret: Quo utroque vitio laborasse domus suae dedicationem arguit Cicero pro Dom. 52. cum inquit: *Qui*

---

tantum, sed in sollemnibus etiam obsecrationes, atque in devotionibus obtinuit. De alteris ita Plinius XXVIII. 2. *Vidimusque certis praecationibus obsecrasse magistratus; et, ne quid verborum praetereatur, aut praepostcrum dicatur*, *de SCRIPTO PRAEIRE aliquem*. De alteris porro extat testimonium Livii VIII. 9. apud quem Decius consul iam se in re trepida pro legionibus devoturus, cum Valerium pontificem inclamasset: *Deorum*, inquit, *ope*, *Valeri*, *opus est*. *Agedum pontifex publicus populi Romani PRAEI VERBA*, *quibus me pro legionibus devoveam*. Quod deinde factum narrat historicus.

(pontifex) *aut nihil dixit . . . . aut, si dixit aliquid, VERBIS HAESITANTIBVS, postemque TREMEBVNDA MANV tetigit. Certe nihil caste, nihil more insitutoque perfecit.*

Sed praeterea necesse universae muneris perfunctioni fuit, ut mens penitus in hoc intenta nec turbaretur unquam, nec alio evagaretur. Quocirca nihil valere ait Tullius ibid. 54. quod quis *MENTE, ac lingua TITVBANTE fecisse dicatur.*

III. Dedicationis solemnia ludorum editio sequi solebat. Ita apud Livium XXXVI. 36. *Per idem fere tempus aedes Matris magnae Idaeae dedicata est . . . . Ludique ob dedicationem eius facti: quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellatos.* Et, narrante Plinio VIII. 7. *Pompeii altero consulatu dedicatione templi Veneris Victricis pugnavere in Circo* (elephanti) *viginti.* Alia exempla non desunt. Quod secutus Maro III. Georg. 13. cecinit:

Et viridi in campo templum de marmore ponam.

. . . .

In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.

Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

§. II.

De Supplicationibus.

Duplici de causa habitae Supplicationes fuerunt, vel ut grates Numinibus agerentur, vel ut ab eis auxilium expeteretur: ideoque e supplicantium

mente modo gratiarum actiones erant, modo divinae opis implorationes.

I. Ad primum genus spectaverunt, quae plerumque ob relatas victorias, nonnunquam propter aliarum rerum felicem exitum decerni a senatu solebant. Harum rerum posterior (nam de priore dictum satis est. Part. I. p. 250. emicat) quam maxime e loco Livii XXX. 21. ubi, Annibale ex Italia proiecto: *Decretum, ut V. dies circa omnia pulvinaria SVPPLICARETVR, victimaeque maiores immolarentur CXX.* Eodem confer hoc Tullii III. Catil. 6. *SVPPLICATIO Diis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est.* Quod factum ob detectas disiectasque coniuratorum insidias.

II. Alterius generis Supplicationes fuere, quas non raro in temporum maximis difficultatibus habitas tradunt historici. Hac ratione Livius X. 23. *Eo anno*, inquit, *prodigia multa fuerunt; quorum averruncandorum causa Supplicationem senatus in biduum decrevit.*

III. Quaecumque autem foret Supplicatio, reseratis templis omnibus, adoratum Deos populus confluebat. Quod totum ob oculos ponit vel una haec eiusdem scriptoris narratio XXX. 17. *Praetor* (ex senatus auctoritate) *edixit, ut aeditui aedes sacras omnes tota urbe aperirent; circumeundi, salutandique Deos, agendique gratias per totum diem populo potestas fieret.*

IV. In plures dies, quod et ex allato ante exemplo liquet, decerni Supplicatio solebat. Qui dierum numerus, nequaquam antea tantus, ad quindecim sibi primum concessus dicitur a Caesare II. de Bell. Gall. 35. Sed et postmodum plus multo auctus: nam praeter viginti, de quibus sibi item datis meminit ipse Caesar IV. de Bell. Gall.

Vbi tota interdictio in Aenae socios, non ante, ut ducem ipsum, expiatos intenditur.

Extra dubium tamen est, saepius *profanos*, qui sacrae rei interesse prohibiti, dictos eos fuisse, qui sacris, ad quae initiatis tantummodo dabatur aditus, initiati ipsi non essent. Huius generis profanos Graeci vocavere ἀμυήτους, atque βεβήλους; quos et ipsi a sacrorum communione amovebant. Eiusmodi autem sacra, quorum ii solum, qui eorundem fuissent rationem edocti, participes esse poterant, fuerunt Cereris, Bacchi, Cybeles; quae quoniam aliis evulgare nefas erat, hinc et *mysteria*, et *sacra seclusa* appellari mos fuit. (Fest. v. *Seclusa*).

IV. Indignis abire iussis, inde illis qui aderant silentium imperabatur ea formula: FAVETE LINGVIS. Quam sic ab Aenea sollemnia indicente prolatam refert Maro V. Aeneid. 71.

ORE FAVETE omnes, et cingite tempora
ramis.

Eandem porro ad rem poëticam transtulit hoc pacto Horatius III. Od. 1.

Odi profanum vulgus, et arceo,
FAVETE LINGVIS: carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos
Virginibus, puerisque canto.

Huiusce autem carminis non ea vis fuit, ut silentium omnino fieret, sed ut profanis verbis sepositis, bona modo atque ad sacrificium congruentia dicerentur. Patefacit id praeter alios Tibullus II. Eleg. 2.

Dicamus BONA VERBA, venit natalis, ad
aras;
Quisquis ades, LINGVA vir mulierque
FAVE.

§. II.

De Ritibus
Caedem Victimae
Proxime Praecedentibus.

I. Ad sacrificium peragendum ignis maxime omnium necesse fuit. Itaque in ara eum accendere satagebant, in primisque, prout traditur, e lignis arboris Numini, cui sacrum fieret, dedicatae, cum sit illud notissimum fuisse suas certis Diis arbores consecratas, scilicet quercum Iovi, laurum Apollini, oleam Minervae, pinum Cybele, aliasque aliis.

II. In ignem tus mox conjici mos erat; idque certe ad maiorem vel pietatis, vel munificentiae significationem non exigua ferme copia. Hinc Aeneas apud Virgilium V. Aeneid. 744.

. . . . Canae penetralia Vestae
Farre pio, et PLENA supplex veneratur
ACERRA.

Quare si quando parcius hac in re actum, et vix pauca turis grana data deprehenderis, hoc et ad privata sacra, et ad pauperiorum conditionem referes. Tale est, quod profert Ovidius Fast. IV.

Dats et in veteres TVREA GRAMA focos.

Praeter tus vero, verbenae etiam (de quarum natura dictum p. 132.) comburi solebant. Quare cecinit Maro VIII. Ecl. 64.

Effer aquam, et molli cinge haec altaria
vitta,
VERBENASque ADOLE pingues.

III. Victima iam ante *ducta*, ad aram *admovebatur*. Quae duo fuerunt e sacrorum usu vocabula. Accipe in utrumque singula e plurimis exempla, ab uno Marone transmissa. Ita II. Georg. 395.

Et DVCTVS cornu stabit sacer hircus ad aram.

Tum XII. Aeneid. 171.

. . . *ADMOVITque pecus flagrantibus aris.*

Exinde ad aram hostia, dum previae caeremoniae obirentur, *stabat*. Hinc apud eundem III. Georg. 486.

Saepe in honore Deum medio STANS hostia AD ARAM.

IV. Victimae sic stantis capiti mola (quae ex farre tosto molitoque, atque e sale confecta) imponebatur. De qua Virgilius VIII. Ecl. 82.

Sparge Molam, et fragiles incende bitumine lauros.

Idque proprie fuit *immolare*, et *mactare*. Etenim et ex Festo, *Immolare est, mola . . . . hostiam perspersam sacrare*; et ex Servio in IV. Aeneid. 57. *Mactare est magis augere*; quod in primis fiebat per iniectam molam.

Non solum autem molam, sed tus etiam, vinumque in victimam inspergere moris erat. E quorum altero ortum illud Ovidii Fast. I.

Rode, caper, vitem; tamen hinc, cum stabis ad aras.

In tua quod fundi cornua possit, erit.

In utramque autem hanc rem insignia valde sunt eiusdem Servii verba ad IX. Aeneid. 641. sic habentia: *Quoties aut tus, aut vinum super victimam fundebatur, dicebant: MACTVS EST TAVRVS VINO, vel TVRE, hoc est cumulata est*

hostia et magis aucta. De quo tamen locutionis genere infra redibit sermo.

Nec vero vinum tantummodo, sed non raro lac etiam, ac mel superfundi solebat. Pro reliquis auctoritatibus satis fuerit haec Silii XIII.

Fundunt mella super, Bacchique et lactis honorem.

Vinum porro ipsum, vel quid aliud, si quidem Diis superis sacrum fieret, *fundi*, si vero inferis, *vergi* dicebatur Quod ita explicat Servius VI. Aeneid. 244. *FVNDERE est supina manu libare, quod fit in sacris supernis. VERGERE autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur; quod in infernis sacris fit.*

Vniversae huiusmodi effusiones proprio dictae nomine fuere *libationes*. Quas hoc formulae genere in Deum, cui sacrificarent, solebant prosequi; MACTE HOC VINO ESTO. (Arnob. advers. gent. VII.) Atque hae quidem libationes non in victimam solum, verum in aram etiam fiebant. Hoc plane sensu apud Virgilium XII. Aeneid. 174.

. . . . PATERISQVE ALTARIA LIBANT.

De voce demum ipsa fac advertas, ea tum liquoris in Numinis honorem effusionem fuisse designatam, tum eiusdem degustationem simpuvio a sacrificantibus fieri ante solitam.

V. Ad haec culter eadem illa mola conspersus duci obliquus a victimae fronte ad caudam solebat. Quod dicitur a Lucano I.

. . . . Obliquo molas inducere cultro.

Rem ipsam docuit Servius ad illud Virgilii XII. Aeneid. 173.

Dant fruges manibus salsas, et tempora
Summa notant pecudum.

VI. Postremo decerpti aliquot e fronte victimae pili in ignem, quasi quaedam sacrificii primitiae, coniiciebantur. Expressum habes morem in hoc Maronis VI. Aeneid. 245.

Et summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imponit sacris, libamina prima.

§. III.

De Caede Victimae, Reliquisque Ritibus.

I. Ad caedem iam tandem hostiae ventum est. Quae peragenda cum esset; popae interroganti, AGON? respondebatur a sacrificante, HOC AGE. De quo instituto Ovidius Fast. I.

Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper, Agatne? rogat; nec nisi IVSSVS AGIT.

II. Accepto minister imperio hostiam mallei aut securis ictu sternebat, tum cultro iugulabat. Quod solemnibus *feriendi*, aut *percutiendi*, vocabulis designatum: ut propterea nihil iis sit in sacra re frequentius apud scriptores. Ipsa autem victima *cadere* dicta persaepe est: quo pacto a Virgilio I. Aeneid. 338.

Multa tibi ante aras nostra CADET hostia dextra.

III. Caesae hostiae sanguinem pateris excipiendum curabant, qui mox circum aram effunderetur. Quare ex eiusdem poëtae testimonio VI. Aeneid. 248.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem

Suscipiunt pateris.

IV. Dissecta dein victima, consulebantur exta, Quae si laeta se se darent, *litatum esse* dicebant; secus vero, si tristia. Fuit autem *litare* ex Macrobio III. Saturnal. 5. *Sacrificio facto placare Numen.* Ad quod mire congruunt veterum hac de re loquendi genera. Ita apud Livium IX. 14 consul Papirius sacris peractis inquit: *LITATVM EST egregie: AVCTORIBVS DIIS, ut videtis, ad rem agendam proficiscimur.*

Ex huiusmodi litationis expectatione manavit mos, ut si per priores hostias non bene successisse videretur, aliae inde (*succidaneae* dictae, de quibus p. 150.), si forte litari posset, immolarentur. Huc in primis spectat locus Livii X LI. 19 *Territis eo prodigio patribus et alter consul curam adiecit, qui se, quod caput iecinori defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. Senatus MAIORIBVS HOSTIIS VSQVE AD LITATIONEM SACRIFICARI iussit. Ceteris Diis perlitatum ferunt, Saluti Petillium perlitasse negant.*

V. Exta porro ipsa lancibus in aras cremanda inferebantur. In hanc rem est illud Maronis II. Georg. 194.

Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.

Ad eandem extorum dationem designandam *porriciendi* vocabulum adprime sollenne fuit. De quo audi dicta a Varrone I. R. R. 29. *Quae est inter duos sulcos elata terra, dicitur PORCA, quod ea seges frumentum PORRICIT. Sic quoque exta Diis cum dabant, PORRICERE dicebant.* Ex quo etiam ductum proverbium illud est: *Inter caesa et porrecta*; quo designatum fuit medium aliquod tempus, per quod adversus quis casus turbare omnia valeret: qua ratione inter caesam victimam et porrecta exta fieri assolebat, ubi haec inspecta

male portendissent. Eo proverbio Tullius iam iam de sua provincia discessurus sic usus est V. ad Att. 18. *Ne quid inter CAESA ET PORRECTA, ut aiunt, oneris mihi addatur, aut temporis.*

VI. Nonnunquam totam concrematam fuisse victimam compertum est: quod Genus Graeci ὁλόκαυστον appellaverunt. Ad id refer verba Maronis VI. Aeneid. 253.

Et SOLIDA imponit taurorum VISCERA flammis.

Sunt enim *viscera* non exta modo, sed quidquid pelle obtegitur; ex quo et *visceratio* dicta, carnium distributio in sacris fieri solita. (Serv. in I. Aeneid. 215.).

De huiusmodi autem sive hostiae, sive extorum (quemadmodum etiam turis verbenarumque) exustione animadvertendum suppetit, eam non alio fuisse quam *adolendi* vocabulo significatam. Ita apud Virgilium III. Aeneid. 547.

Iunoni Argivae iussos ADOLEMVS honores.

Quod quidem factum, ut a male ominatis verbis abstinerent. Quare Servius in I. Aeneid. 708. *ADOLERE*, inquit, *proprie est augere. In sacris autem ADOLERE PER BONVM OMEN dicitur; nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur.*

VII. Iam ubi non tota victima uxureretur, carnium pars sacrificantibus cedebat; quam absoluto sacrificio ad epulas cum amicis habitas adhiberi mos fuit. Huius omnino generis illud est, quod refert Maro VIII. Aeneid. 179.

Tunc lecti iuvenes certatim, araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt, taurorum, onerantque canistris
Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.

Vescitur Aeneas, simul et Troiana iuventus
Perpetui tergo bovis, et lustralibus extis.

Ex his vero carnis distributionibus, quae sacrificii causa factae, et quae, ut paullo ante dictum, *viscerationes* vocatae sunt, celeberrima omnium fuit, quae feriis Latinis fiebat, cum in monte Albano, re divina peracta, omnium Latini nominis populorum legatis caro caesae victimae impertiebatur. Memorandum de hoc est, quod affert Livius XXVII. 2. *Feriae Latinae pontificum decreto instauratae sunt, quod legati ab Ardea questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut assolet, datam non esse.*

Sectio V.

De Praecipuis Quibusdam Sacrarum Celebritatum Generibus.

Praeter sacrificia, quae Celebritatum non ultima habebantur, fuere et aliae: quarum si non illis maior, certe non minor inesse animis videbatur religionis opinio. Harum de numero quatuor nos huc conferemus, Dedicationes templorum, Supplicationes, Lectisternia, et Ludos sacros.

(pontifex) *aut nihil dixit . . . aut, si dixit aliquid, VERBIS HAESITANTIBVS, postemque TREMEBVNDA MANV tetigit. Certe nihil caste, nihil more insitutoque perfecit.*

Sed praeterea necesse universae muneris perfunctioni fuit, ut mens penitus in hoc intenta nec turbaretur unquam, nec alio evagaretur. Quocirca nihil valere ait Tullius ibid. 54. quod quis *MENTE, ac lingua TITVBANTE fecisse dicatur.*

III. Dedicationis solemnia ludorum editio sequi solebat. Ita apud Livium XXXVI. 36. *Per idem fere tempus aedes Matris magnae Idaeae dedicata est . . . . Ludique ob dedicationem eius facti: quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellatos.* Et, narrante Plinio VIII. 7. *Pompeii altero consulatu dedicatione templi Veneris Victricis pugnavere in Circo* (elephanti) *viginti.* Alia exempla non desunt. Quod secutus Maro III. Georg. 13. cecinit:

Et viridi in campo templum de marmore ponam.
. . . .
In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

§. II.

De Supplicationibus.

Duplici de causa habitae Supplicationes fuerunt, vel ut grates Numinibus agerentur, vel ut ab eis auxilium expeteretur: ideoque e supplicantium

mente modo gratiarum actiones erant, modo divinae opis implorationes.

I. Ad primum genus spectaverunt, quae plerumque ob relatas victorias, nonnunquam propter aliarum rerum felicem exitum decerni a senatu solebant. Harum rerum posterior (nam de priore dictum satis est. Part. I. p. 250. emicat) quam maxime e loco Livii XXX. 21. ubi, Annibale ex Italia proiecto: *Decretum, ut V. dies circa omnia pulvinaria SVPPLICARETVR, victimaeque maiores immolarentur CXX.* Eodem confer hoc Tullii III. Catil. 6. *SVPPLICATIO Diis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est.* Quod factum ob detectas disiectasque coniuratorum insidias.

II. Alterius generis Supplicationes fuere, quas non raro in temporum maximis difficultatibus habitas tradunt historici. Hac ratione Livius X. 23. *Eo anno*, inquit, *prodigia multa fuerunt: quorum averruncandorum causa Supplicationem senatus in biduum decrevit.*

III. Quaecumque autem foret Supplicatio, reseratis templis omnibus, adoratum Deos populus confluebat. Quod totum ob oculos ponit vel una haec eiusdem scriptoris narratio XXX. 17. *Praetor* (ex senatus auctoritate) *edixit, ut aeditui aedes sacras omnes tota urbe aperirent; circumeundi, salutandique Deos, agendique gratias per totum diem populo potestas fieret.*

IV. In plures dies, quod et ex allato ante exemplo liquet, decerni Supplicatio solebat. Qui dierum numerus, nequaquam antea tantus, ad quindecim sibi primum concessus dicitur a Caesare II. de Bell. Gall. 35. Sed et postmodum plus multo auctus: nam praeter viginti, de quibus sibi item datis meminit ipse Caesar IV. de Bell. Gall.

38. etiam quadraginta, et sexaginta diversas ob res eidem decretos refert Dio p. 200. et 144.

§. III.

De Lectisterniis.

I. Nihilo, quam supplicatio, levius religionis opus existimatum Lectisternium fuit. Positum in eo id erat, ut Diis in templis sternerentur lecti, et convivium appararetur.

Huiusmodi lecti etiam *pulvinaria* vocati. Paret in illo Livii XXI. 62. ubi traditur: *Corvum in aedem Iunonis devolasse, et in ipso Pulvinario consedisse.* Atque hinc manavit, ut templum ipsum *Pulvinar* appellaretur: quod et scripsit Servius ad III. Georg. 533. Hac notione Livius XXII. 1. *Ad omnia*, inquit, *Pulvinaria sacrificatum esse.* Eandem ostendunt verba Ciceronis III. in Catil. 23. *Ad omnia Pulvinaria supplicatio decreta est.* Eandem quoque habes in ipsius Livii loco XXX. 21. quem proximo §. produximus.

Sciendum tamen est, Deabus, alia a Diis ratione, sellas parari solitum fuisse. Declaratur hoc per Valerium Max. II. 1. 2. de Iovis epulo his dictis: *Iovis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerva in Sellas invitabantur.* E quibus ipsis sellis ortum habuit vox *Sellisternium*, de qua sic Festus: *Solla appellantur sedilia . . . . ideoque solla sternere dicuntur, qui Sollisternium habent.* Itaque *Sollisternium*, sive *Sellisternium* eodem modo factum, quo *Lectisternium*.

II. Epulum, quod praecipua Lectisternii pars erat, curabant epulones, de quibus verba fecimus

p. 123. iidemque pridie, quam celebrarentur, populo indicebant. (Fest. v. *Epulones*).

III. Iam Lectisternium, aeque ac supplicatio, vel ad gratias Diis persolvendas, vel ad finem malorum expostulandum erat. Horum alterum exprimitur illis Horatii I. Od. 37. victoriam Actiacam spectantis;

> . . . . *Nunc Saliaribus*
> *Ornare Pulvinar Deorum*
> *Tempus erat dapibus, sodales.*

Alterum vero proponit locus Livii VII. 2. *Pacis Deum exposcendae causa tertio tum post conditam urbem Lectisternium fuit.* Tum alius ibid. 27. *Pestilentia civitatem adorta coegit senatum imperare decemviris, ut libros Sibyllinos inspicerent; eorumque monitu Lectisternium fuit.*

§. IV.

De Ludis Sacris.

Ad alias Celebritates, quibus caecae superstitionis homines gratiam sibi Numinum conciliare nitebantur, Ludos etiam addiderunt. Qui propterea sacri a nobis heic dicuntur, quoniam ab illis ad unam intend. religionem videbantur.

I. Itaque non raro eos, tanquam rem Diis gratam, vovebant. Hoc pacto apud Livium VII. 11. tumultu Gallico exorto, Q. Servilius Ahala dictator ad id creatus, *ex auctoritate patrum, si prospere id bellum evenisset, LVDOS MAGNOS* (eosdem ac Romanos) *VOVIT.* Quod cum haud insolens esset, *Ludorum votivorum* appellatio facta est.

II. Ex eodem religionis fonte fluxit, quod si quando sacri hoc genus ludi perperam facti viderentur, eos instaurandi cura esset. Quae certe instauratio saepissime in annalibus se se dat obviam; siquidem vel ob minima quaeque, ubi peccatum foret, ad ipsam confugiendum esse rebantur. Conferunt, ad hoc plurimum dicta a Tullio de Harusp. Resp. 11. *Si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus, et matrimus si terram non tenuit, aut thensam, aut lorum omisit, aut si aedilis verbo, aut simpulo aberravit, ludi sunt non rite facti, eaque errata expiantur, et MENTES DEORVM IMMORTALIVM LVDORVM INSTAVRATIONE PLACANTVR.*

Atque hi quidem Ludi, qui instaurationis caussa fiebant, *instaurativi* nuncupati sunt. Quod nomen illis etiam datum, qui pro omissis celebrabantur. Habemus hoc a Tullii verbis I. de Divinat. 26. *Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque, ludis intermissis, Instaurativi constituti sunt.*

III. Praeter eos autem, qui ex voto fierent, annuae quaedam erant Ludorum editiones. Ex hoc numero fuerunt *Apollinares*, *Capitolini*, *Cereales*, *Compitales*, *Magni*, *Martiales*, *Megalenses*, *Plebeii*, *Romani*.

1. Ludos *Apollinares* ex carmine cuiusdam Martii vatis, tanquam maxime salutares urbis incolumitati futuros, institutos A. V. DXXXVIII. narrat Livius XXV. 12. Eosdem a praetore urbano in circo maximo primum factos indidem paret; quod ipsum servatum quotannis est. Cum autem incerta prius edendorum dies fuisset, cautum postea fuit, ut stata die, scilicet III. Nonas Quintiles in perpetuum celebrarentur. (Liv. XXVII. 23.)

2. *Capitolini* post urbem a Gallis ereptam fieri Iovi occeperunt: quo tempore ex relatu Livii V. 50. patres decreverunt: *Ludi Capitolini fierent, quod Iupiter optimus maximus suam sedem, atque arcem populi Romani in re trepida tutatus esset: collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis, qui in Capitolio atque arce habitarent.*

3. *Gereales*, qui ad Cererem pertinuerunt, memorantur ab eodem historico XXX. 39. Exhiberi eos in circo solitos testatur Ovidius Fast. V. Adhaec pridie Idus April. initium habuisse, et per octo continentes dies perdurasse patet ex Kalendario Romano.

4. *Compitales* dicti, qui in compitis peragebantur. Hos Tarquinius Priscus ad colendos Genios ita constituisse fertur, ut primum unaquaeque compiti vicinia aediculas ligneas his Diis dedicaret; tum per singulos annos, conferentibus singulis familiis liba, servorum ministerio sacra fierent. Refert omnia Dionysius p. 218.

His ludis certa dies non fuit. Vnde est, ut Cicero in Pis. 4. dicat: *Cum in III. Kal. Ianuar. Compitaliorum dies incidisset*: tum vero VII. ad Att. 7. ita scribat: *Ego, quoniam VI. Non. Ianuar. Compitalius dies est, nolo eo die in Albanum venire molestus familiae.*

5. *Magni* vocati ipsi circenses, sunt, de quibus egimus Part. I. p. 303, et seqq. Qui cur cognominati sic fuerint, declarat Asconius in Cicer. p. 57, cum inquit: *Romani ludi* (iidem ac circenses; ut non multo post demonstrabitur) *sub regibus instituti sunt, MAGNIque appellati, quod magnis impensis dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. Alii ideo MAGNOS ludos dictos putant, quod Conso, con-*

*

s liorum secretor.m Deo, idest Nep uno . . . et Diis magnis, idest Laribus urbis Romae, dati sunt. Ceterum hos ludos Iovi, Iunoni, Minervaeque fieri consuevisse patet ex Tullio V. in Verr. 14. Annuos eos fuisse docet Livius I. 35. A cuius etiam narratione XXII. 9. discimus eosdem, ubi res ita postulare crederetur, votos esse.

6. *Martiales*, certamina equestria erant, in circo committi solita Kalendis Sextil. qua die aedes Martis fuerat consecrata. (Dio p. 607).

7. *Megalenses* (sive *Megalesia*) ludi scenici fuerunt, in Matris magnae honorem constituti; quod scripsit Livius XXXVI. 36. cuius verba ante recitavimus § 1. Actos eos in Palatio ante ipsius Deae templum asseverat Tullius de Harusp. Resp. 12. Huic autem celebritati diem, quae sequeretur Nonas Apriles, fuisse destinatam certum fit per Ovidium Fast. IV.

8. *Plebeii* ex eo orti sunt, quod plebs fuisset vel libertatem exactis regibus assecuta, vel post secessionem in Aventinum cum patribus reconciliata; prout literis mandavit Asconius in Cicer. p. 57. In circo erat horum celebratio exante XVII. Kal. Decembr. ad totum triduum.

9. *Romani*, in duo divisi genera, tum circenses, tum scenici fuerunt. Claret utrumque a Livio. Is. I. 35. *Ludos*, inquit, *opulentius instructiusque, quam priores reges* (L. Tarquinius) *fecit. Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est. . . . Equi, pugilesque ex Etruria maxime acciti. Sollemnes deinde annui mansere ludi, Romani, Magnique varie appellati.* Inde XXXI. 4. sic narrat: *Ludi Romani Scenici eo anno magnifice apparateque facti.* E quibus locis concludi necesse est Romanos Ludos modo ad circum, modo ad scenam pertinuisse.

CAPVT VII.

De Diis.

Ita, quam modo auspicamur explicationem, rei nostrae commodiorem accidere posse visum, si pauculis prius de multiplici commentitiorum Numinum ordinem declaratis, tota deinde ea ad ipsorum perscrutandam originem converteretur. Quare haec unice per nos ratio tenebitur.

§. I.

De Variis Deorum Ordinibus.

I. Quod in hominum societatibus assolet, idem in ingenti illa Deorum multitudine fieri curatum est, ut in plures diversosque ordines dispescerentur. Itaque alii fuere Dii caelestes, qui caelos incolerent, ut IVPITER, MARS, APOLLO: alii inferi, qui in inferis habitarent, ut PLVTO, PROSERPINA, SATVRNVS: alii marini, quibus in maris antris data sedes, ut NEREVS, GLAVCVS, TRITON: alii rustici, quorum curae mandata res agrestis, ut PALES, POMONA, TVTELINA. Verum e ceteris omnibus illa quidem summa praecipuaque fuit distributio, qua divisi illi in Deos *maiorum*, et *minorum gentium* fuerunt.

male portendissent. Eo proverbio Tullius iam iam de sua provincia discessurus sic usus est V. ad Att. 18. *Ne quid inter CAESA ET PORRECTA, ut aiunt, oneris mihi addatur, aut temporis.*

VI. Nonnunquam totam concrematam fuisse victimam compertum est: quod Genus Graeci ὁλοκαύτωσιν appellaverunt. Ad id refer verba Maronis VI. Aeneid. 253.

Et SOLIDA imponit taurorum VISCERA flammis.

Sunt enim *viscera* non exta modo, sed quidquid pelle obtegitur; ex quo et *visceratio* dicta, carnium distributio in sacris fieri solita. (Serv. in I. Aeneid. 215.).

De huiusmodi autem sive hostiae, sive extorum (quemadmodum etiam turis verbenarumque) exustione animadvertendum suppetit, eam non alio fuisse quam *adolendi* vocabulo significatam. Ita apud Virgilium III. Aeneid. 547.

Iunoni Argivae iussos ADOLEMVS honores.

Quod quidem factum, ut a male ominatis verbis abstinerent. Quare Servius in I. Aeneid. 708. *ADOLERE*, inquit, *proprie est augere. In sacris autem ADOLERE PER BONVM OMEN dicitur; nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur.*

VII. Iam ubi non tota victima uxureretur, carnium pars sacrificantibus cedebat; quam absoluto sacrificio ad epulas cum amicis habitas adhiberi mos fuit. Huius omnino generis illud est, quod refert Maro VIII. Aeneid. 179.

Tunc lecti iuvenes certatim, araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt, taurorum, onerantque canistris
Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.

Vescitur Aeneas, simul et Troiana iuventus
Perpetui tergo bovis, et lustralibus extis.

Ex his vero carnis distributionibus, quae sacrificii causa factae, et quae, ut paullo ante dictum, *visceratione*s vocatae sunt, celeberrima omnium fuit, quae feriis Latinis fiebat, cum in monte Albano, re divina peracta, omnium Latini nominis populorum legatis caro caesae victimae impertiebatur. Memorandum de hoc est, quod affert Livius XXVII. 2: *Feriae Latinae pontificum decreto instauratae sunt, quod legati ab Ardea questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut assolet, datam non esse.*

Sectio V.

De Praecipuis Quibusdam Sacrarum Celebritatum Generibus.

Praeter sacrificia, quae Celebritatum non ultima habebantur, fuere et aliae: quarum si non illis maior, certe non minor inesse animis videbatur religionis opinio. Harum de numero quatuor nos huc conferemus, Dedicationes templorum, Supplicationes, Lectisternia, et Ludos sacros.

§. I.

De Templorum Dedicationibus.

Provisum per ethnicos illos homines sedulo fuerat, ut suae templorum Dedicationes (videlicet (40) Consecrationes) religiose simul et magnifice peragerentur.

I. Primum igitur ita veteris instituti ratio tulit, ut non fere nisi a consule, aut imperatore, viris nempe primariis, templa dedicarentur. Meminit de hoc Livius IX. 46. Vbi refertur etiam tanquam res a more plane aliena, quod C. Flavius aedilis curulis eadem Concordiae dedicavisset. Per quam occasionem, ne quid simile in posterum fieret, *latum ad populum est, ne quis templum aramve iniussu senatus, aut tribunorum plebis partis maioris dedicaret.* Ceterum alios quoque e magistratibus, censorem, praetorem, nec raro alterum e duumviris aedis locandae faciendae, dedicavisse patet. (Liv. XXXIV. 53. et alibi.)

II. In ipsa dedicatione pontifex praeibat (41)

(40) Quid inter *dedicationem* proprie sumptam, et *consecrationem* intersit, ample perdocteque explanavit Mazochius in suo in Amphit. Camp. Tit. Commentario p. 79. et seqq. Scilicet *dedicare* suopte ingenio est rem usui dicare, quod Graeci ἐγκαινίζειν dixere, ac posterior latinitatis aetas *encaeniare*. Sed enimvero quoniam in iis rebus, quae consecrabantur, ipsam statim consecrationem dedicatio sequebatur, ex eo manavit, ut haec illius etiam significationem sibi adiunxerit.

(41) Hic mos praeeundi verba non in dedicationibus

verba, ab eo, qui dedicationi praeerat, singula deinceps pronuntianda. In quo toto ea maxima cura erat, ut expedite omnia, clare, recteque proferrentur. Cuius rei exemplo sit, quod tradit Plinius XI. 37. *Metellum pontificem*, inquit, *adeo inexplanatae* (linguae) *fuisse accepimus*, *ut multis mensibus tortus credatur*, *dum meditatur in dedicanda aede Opis vera dicere.*

Dum verba praeibat pontifex, interim templi postes tenebat. Vnde est apud Tullium pro Dom. 62. sermocinatio illa Clodii ad dedicationem pontifices vocantis: *Ades*, *ades*, *Lucülle*, *Servili*, *dum dedico domum Ciceronis*, *ut mihi praeeatis*, *postemque teneatis.* Quo caeremoniae genere id adsignificatum ratus est Servius ad III. Georg. 16. quod iam aedes illa ab humano usu secreta, a Numine, cui dicabatur, teneri inciperet.

Quemadmodum vero ad iustam verborum pronuntiationem opus id erat, ut ne lingua balbutiret haereretque; ita ad rectam postium prehensionem requirebatur, ne manus contremisceret. Quo utroque vitio laborasse domus suae dedicationem arguit Cicero pro Dom. 52. cum inquit: *Qui*

. . . .

tantum, sed in sollemnibus etiam obsecrationes, atque in devotionibus obtinuit. De alteris ita Plinius XXVIII. 2. *Vidimusque certis praecationibus obsecrasse magistratus; et, ne quid verborum praetereatur, aut praeposterum dicatur*, *de SCRIPTO PRAEIRE aliquem.* De alteris porro extat testimonium Livii VIII. 9. apud quem Decius consul iam se in re trepida pro legionibus devoturus, cum Valerium pontificem inclamasset: *Deorum*, inquit, *ope*, *Valeri*, *opus est. Agedum pontifex publicus populi Romani PRAEI VERBA*, *quibus me pro legionibus devoveam.* Quod deinde factum narrat historicus.

(pontifex) *aut nihil dixit . . . . aut, si dixit aliquid, VERBIS HAESITANTIBVS, postemque TREMEBVNDA MANV tetigit. Certe nihil caste, nihil more insitutoque perfecit.*

Sed praeterea necesse universae muneris perfunctioni fuit, ut mens penitus in hoc intenta nec turbaretur unquam, nec alio evagaretur. Quocirca nihil valere ait Tullius ibid. 54. quod quis *MENTE, ac lingua TITVBANTE fecisse dicatur.*

III. Dedicationis solemnia ludorum editio sequi solebat. Ita apud Livium XXXVI. 36. *Per idem fere tempus aedes Matris magnae Idaeae dedicata est . . . . Ludique ob dedicationem eius facti: quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellatos.* Et, narrante Plinio VIII. 7. *Pompeii altero consulatu dedicatione templi Veneris Victricis pugnavere in Circo* (elephanti) *viginti.* Alia exempla non desunt. Quod secutus Maro III. Georg. 13. cecinit :

Et viridi in campo templum de marmore ponam.

. . . .

In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.

Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

§. II.

De Supplicationibus.

Duplici de causa habitae Supplicationes fuerunt, vel ut grates Numinibus agerentur, vel ut ab eis auxilium expeteretur: ideoque e supplicantium

mente modo gratiarum actiones erant, modo divinae opis implorationes.

I. Ad primum genus spectaverunt, quae plerumque ob relatas victorias, nonnunquam propter aliarum rerum felicem exitum decerni a senatu solebant. Harum rerum posterior (nam de priore dictum satis est. Part. I. p. 250. emicat) quam maxime e loco Livii XXX. 21. ubi, Annibale ex Italia proiecto: *Decretum, ut V. dies circa omnia pulvinaria SVPPLICARETVR, victimaeque maiores immolarentur CXX.* Eodem confer hoc Tullii III. Catil. 6. *SVPPLICATIO Diis immortalibus pro singulari eorum merito meo nomine decreta est.* Quod factum ob detectas disiectasque coniuratorum insidias.

II. Alterius generis Supplicationes fuere, quas non raro in temporum maximis difficultatibus habitas tradunt historici. Hac ratione Livius X. 23. *Eo anno*, inquit, *prodigia multa fuerunt; quorum averruncandorum causa Supplicationem senatus in biduum decrevit.*

III. Quaecumque autem foret Supplicatio, reseratis templis omnibus, adoratum Deos populus confluebat. Quod totum ob oculos ponit vel una haec eiusdem scriptoris narratio XXX. 17. *Praetor* (ex senatus auctoritate) *edixit, ut aeditui aedes sacras omnes tota urbe aperirent; circumeundi, salutandique Deos, agendique gratias per totum diem populo potestas fieret.*

IV. In plures dies, quod et ex allato ante exemplo liquet, decerni Supplicatio solebat. Qui dierum numerus, nequaquam antea tantus, ad quindecim sibi primum concessus dicitur a Caesare II. de Bell. Gall. 35. Sed et postmodum plus multo auctus: nam praeter viginti, de quibus sibi item datis meminit ipse Caesar IV. de Bell. Gall.

38. etiam quadraginta, et sexaginta diversas ob res eidem decretos refert Dio p. 200, et 144.

§. III.

De Lectisterniis.

I. Nihilo, quam supplicatio, levius religionis opus existimatum Lectisternium fuit. Positum in eo id erat, ut Diis in templis sternerentur lecti, et convivium appararetur.

Huiusmodi lecti etiam *pulvinaria* vocati. Paret in illo Livii XXI. 62. ubi traditur: *Corvum in aedem Iunonis devolasse, et in ipso Pulvinario consedisse.* Atque hinc manavit, ut templum ipsum *Pulvinar* appellaretur: quod et scripsit Servius ad III. Georg. 533. Hac notione Livius XXII. 1. *Ad omnia*, inquit, *Pulvinaria sacrificatum esse.* Eandem ostendunt verba Ciceronis III. in Catil. 23. *Ad omnia Pulvinaria supplicatio decreta est.* Eandem quoque habes in ipsius Livii loco XXX. 21. quem proximo §. produximus.

Sciendum tamen est, Deabus, alia a Diis ratione, sellas parari solitum fuisse. Declaratur hoc per Valerium Max. II. 1. 2. de Iovis epulo his dictis: *Iovis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerva in Sellas invitabantur.* E quibus ipsis sellis ortum habuit vox *Sellisternium*, de qua sic *Festus*: *Solla appellantur sedilia . . . . ideoque solla sternere dicuntur, qui Sollisternium habent.* Itaque *Sollisternium*, sive *Sellisternium* eodem modo factum, quo *Lectisternium*.

II. Epulum, quod praecipua Lectisternii pars erat, curabant epulones, de quibus verba fecimus

p. 123. iidemque pridie, quam celebrarentur, populo indicebant. (Fest. v. *Epulones*).

III. Iam Lectisternium, aeque ac supplicatio, vel ad gratias Diis persolvendas, vel ad finem malorum expostulandum erat. Horum alterum exprimitur illis Horatii I. Od. 37. victoriam Actiacam spectantib:

. . . . Nunc Saliaribus.
Ornare Pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

Alterum vero proponit locus Livii VII. 2. *Pacis Deum exposcendae causa tertio tum post conditam urbem Lectisternium fuit.* Tum alius ibid. 27. *Pestilentia civitatem adorta coegit senatum imperare decemviris, ut libros Sibyllinos inspicerent; eorumque monitu Lectisternium fuit.*

§. IV.

De Ludis Sacris.

Ad alias Celebritates, quibus caecae superstitionis homines gratiam sibi Numinum conciliare nitebantur, Ludos etiam addiderunt. Qui propterea sacri a nobis heic dicuntur, quoniam ab illis ad unam intendi religionem videbantur.

I. Itaque non raro eos, tanquam rem Diis gratam, vovebant. Hoc pacto apud Livium VII. 11. tumultu Gallico exorto, Q. Servilius Ahala dictator ad id creatus, *ex auctoritate patrum, si prospere id bellum evenisset, LVDOS MAGNOS* (eosdem ac Romanos) *VOVIT*. Quod cum haud insolens esset, *Ludorum votivorum* appellatio facta est.

II. Ex eodem religionis fonte fluxit, quod si quando sacri hoc genus ludi perperam facti viderentur, eos instaurandi cura esset. Quae certe instauratio saepissime in annalibus se se dat obviam; siquidem vel ob minima quaeque, ubi peccatum foret, ad ipsam confugiendum esse rebantur. Conferunt, ad hoc plurimum dicta a Tullio de Harusp. Resp. 11. *Si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus, et matrimus si terram non tenuit, aut thensam, aut lorum omisit, aut si aedilis verbo, aut simpulo aberravit, ludi sunt non rite facti, eaque errata expiantur, et MENTES DEORVM IMMORTALIVM LVDORVM INSTAVRATIONE PLACANTVR.*

Atque hi quidem Ludi, qui instaurationis causa fiebant, *instaurativi* nuncupati sunt. Quod nomen illis etiam datum, qui pro omissis celebrabantur. Habemus hoc a Tullii verbis I. de Divinat. 26. *Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque, ludis intermissis. Instaurativi constituti sunt.*

III. Praeter eos autem, qui ex voto fierent, annuae quaedam erant Ludorum editiones. Ex hoc numero fuerunt *Apollinares*, *Capitolini*, *Cereales*, *Compitales*, *Magni*, *Martiales*, *Megalenses*, *Plebeii*, *Romani*.

1. Ludos *Apollinares* ex carmine cuiusdam Martii vatis, tanquam maxime salutares urbis incolumitati futuros, institutos A. V. DXXXVIII. narrat Livius XXV. 12. Eosdem a praetore urbano in circo maximo primum factos indidem paret; quod ipsum servatum quotannis est. Cum autem incerta prius edendorum dies fuisset, cautum postea fuit, ut stata die, scilicet III. Nonas Quintiles in perpetuum celebrarentur. (Liv. XXVII. 23.)

2. *Capitolini* post urbem a Gallis ereptam fieri Iovi occeperunt: quo tempore ex relatu Livii V. 50. patres decreverunt: *Ludi Capitolini fierent, quod Iupiter optimus maximus suam sedem, atque arcem populi Romani in re trepida tutatus esset: collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis, qui in Capitolio atque arce habitarent.*

3. *Cereales*, qui ad Cererem pertinuerunt, memorantur ab eodem historico XXX. 39. Exhiberi eos in circo solitos testatur Ovidius Fast. V. Adhaec pridie Idus April. initium habuisse, et per octo continentes dies perdurasse patet ex Kalendario Romano.

4. *Compitales* dicti, qui in compitis peragebantur. Hos Tarquinius Priscus ad colendos Genios ita constituisse fertur, ut primum unaquaeque compiti vicinia aediculas ligneas his Diis dedicaret; tum per singulos annos, conferentibus singulis familiis liba, servorum ministerio sacra fierent. Refert omnia Dionysius p. 218.

His ludis certa dies non fuit. Vnde est, ut Cicero in Pis. 4. dicat: *Cum in III. Kal. Ianuar. Compitaliorum dies incidisset*: tum vero VII. ad Att. 7. ita scribat: *Ego, quoniam VI. Non. Ianuar. Compitalius dies est, nolo eo die in Albanum venire molestus familiae.*

5. *Magni* vocati ipsi circenses, sunt, de quibus egimus Part. I. p. 303, et seqq. Qui cur cognominati sic fuerint, declarat Asconius in Cicer. p. 57. eum inquit: *Romani ludi* (iidem ac circenses; ut non multo post demonstrabitur) *sub regibus instituti sunt, MAGNIque appellati, quod magnis impensis dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. Alii ideo MAGNOS ludos dictos putant, quod Conso, con-*

s liorum secretor.*m Deo*, *idest Nep uno* . . . *et Diis magnis*, *idest Laribus urbis Romae*, *dati sunt*. Ceterum hos ludos Iovi, Iunoni, Minervaeque fieri consuevisse patet ex Tullio V. in Verr. 14.
Annuos eos fuisse docet Livius I. 35. A cuius etiam narratione XXII. 9. discimus eosdem, ubi res ita postulare crederetur, votos esse.

6. *Martiales*, certamina equestria erant, in circo committi solita Kalendis Sextil. qua die aedes Martis fuerat consecrata. (Dio p. 607).

7. *Megalenses* (sive *Megalesia*) ludi scenici fuerunt, in Matris magnae honorem constituti; quod scripsit Livius XXXVI. 36. cuius verba ante recitavimus § 1. Actos eos in Palatio ante ipsius Deae templum asseverat Tullius de Harusp. Resp. 12. Huic autem celebritati diem, quae contineret Nonas Apriles, fuisse destinatam certum fit per Ovidium Fast. IV.

8. *Plebeii* ex eo orti sunt, quod plebs fuisset vel libertatem exactis regibus assecuta, vel post secessionem in Aventinum cum patribus reconciliata; prout literis mandavit Asconius in Cicer. p. 57. In circo erat horum celebratio exante XVII. Kal. Decembr. ad totum triduum.

9. *Romani*, in duo divisi genera, tum circenses, tum scenici fuerunt. Claret utrumque a Livio. Is. I. 35. *Ludos*, inquit, *opulentius instructiusque*, *quam priores reges* (L. Tarquinius) *fecit*. *Tum primum circo*, *qui nunc maximus dicitur*, *designatus locus est*. . . *Equi*, *pugilesque ex Etruria maxime acciti*. *Sollemnes deinde annui mansere ludi*, *Romani*, *Magnique varie appellati*. Inde XXXI. 4. sic narrat: *Ludi Romani Scenici eo anno magnifice apparateque facti*. E quibus locis concludi necesse est Romanos Ludos modo ad circum, modo ad scenam pertinuisse.

CAPUT VII.

De Diis.

Ita, quam modo auspicamur explicationem, rei nostrae commodiorem accidere posse visum, si paucis prius de multiplici commentitiorum Numinum ordinem declaratis, tota deinde ea ad ipsorum perscrutandam originem converteretur. Quare haec unice per nos ratio tenebitur.

§. I.

De Variis Deorum Ordinibus.

I. Quod in hominum societatibus assolet, idem in ingenti illa Deorum multitudine fieri curatum est, ut in plures diversosque ordines dispescerentur. Itaque alii fuere Dii caelestes, qui caelos incolerent, ut IVPITER, MARS, APOLLO: alii inferi, qui in inferis habitarent, ut PLVTO, PROSERPINA, SATVRNVS: alii marini, quibus in maris antris data sedes, ut NEREVS, GLAVCVS, TRITON: alii rustici, quorum curae mandata res agrestis, ut PALES, POMONA, TVTELINA. Verum e ceteris omnibus illa quidem summa praecipuaque fuit distributio, qua divisi illi in Deos *maiorum*, et *minorum gentium* fuerunt.

II. *Maiorum gentium* appellatione donati Dii, qui potiore prae reliquis pollere imperio putarentur. Qua ipsa de causa eos aliquando *magnos* dictos invenias; ut in hoc Maronis III. Aeneid. 12.

Cum sociis, natoque, Penatibus, et MAGNIS DIIS.

Quanquam vero qui in hunc relati ordinem essent, principes universi inter alios habebantur; fuere tamen in duas et ipsi classes distributi, atque alteri *Consentes*, *Selecti* alteri nuncupati.

1. E *Consentibus* supremum veluti Iovis consilium constitit; ut propterea iusta non sine causa ab antiquo *conso*, quod fuit consulere, hoc illi adepti nomen videantur. Omnino duodecim fuerunt, ita ab Ennio producti:

IVNO, VESTA, MINERVA, CERES,
DIANA, VENVS, MARS.
MERCVRIVS, IOVIS, NEPTVNVS,
VVLCANVS, APOLLO.

2. *Selecti*, qui quaedam veluti appendix consentibus adiecti, octo exstitere, IANVS, SATVRNVS, RHEA, GENIVS, PLVTO, BACCHVS, SOL, ET LVNA.

III. Vbi vero viginti hos exceperis, reliquos Deos omnes in *minorum gentium* coetum coniectos habe Qui in duos pariter dispertiti ordines, *Indigetes*, et *Semones* audiverunt.

1. *Indigetes* vocati, qui ex hominibus relati in Deos forent. Rem satis ipsa ostendit nomenclatura, utpote (quod verius videtur) ab *in*, et *dicare* derivata, ita ut antea *Indicetes* illi potius dicerentur, nimirum quod *inter Deos dicati* consecratique essent. Quod si ab *indigetando* (prout aliis placitum) vox ea deducatur, non minus

tamen sibi res constabit, scilicet quod eiusmodi ex humano genere ortos Deos iam aeque atque alios *indigetare* (idest invocare) fas esset.

Huius generis fuerunt HERCVLES, AESCVLAPIVS, CASTOR, POLLVX, QVIRINVS, aliique: in primis vero AENEAS, quem fluminis Numicii aquis (ut fama fuit) absumptum, Indigetis mox loco superstitiosa ambitio habitum voluit. Qua de re scripsit Tibullus II. 5.

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda Deum caelo miserit Indigetem.

Eadem honoris specie ornatus postea Iulius Caesar fuit, aliique passim Imperatores, atque adeo nonnunquam etiam eorum uxores, sorores, filiaeque: id quod vel ipsa *Divorum*, ac *Divarum* adiecta eis in priscis monumentis praenomina manifestant. Cuiusmodi *Consecrationem*, Ἀποθέωσιν (quae futuri mox Dei cremato sollemni ritu in campo Martio cadavere peragebatur) sequi illud solebat, ut novo Deo et poneretur templum, et sacerdotes instituerentur.

2. *Semones*, quasi *semihomines* dicti ii fuerunt, *quos* (uti ait Fulgentius Planciad. Expos. serm. antiq.) *nec caelo adscribebant ob meriti paupertatem . . . . nec terrenos eos deputare volebant pro gratiae veneratione.* In hunc ordinem relati PAN, AGONIVS, CATIVS, VOLVMNVS, aliique.

§. II.

De Vera Commentitiorum Numinum Origine.

I. Ex modo dictis patet, quaenam complurium Deorum origo fuerit. Nimirum quos mortalium, tanquam longe ceteris insigniores, singulari decoratos honore caecum ethnicorum genus vellet; statim eos post actam vitam divinitate donare non dubitabat. Vnde est, ut Cicero II. de Legg. 8. scripserit: *Divos, et eos, qui caelestes semper habiti, colunto, et ollos, QVOS IN CAELVM MERITA VOCAVERINT.* Tales igitur non alii fuerunt, quam homines ob res ex aetatum illarum opinione praeclare utiliterque gestas facti Dii. Vnde iam multorum huius generis Deorum compertam perspectamque habes originem.

II. Nec vero minus illud exploratum est, non pauca alia Numina ex ipsis humani animi dotibus virtutibusque prodiisse; quas videlicet, tanquam viam hominibus ad divinum locum sternentes, in Deorum etiam gregem adsciscì placuit. Quare subdit statim ibidem Tullius: *Ast OLLA* (colunto), *PROPTER QVAE DATVR HOMINI ASCENSVS IN CAELVM, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem; earumque laudum delubra sunto.* Ita reapse in urbe praestiti honores divini, et consecrata templa Menti, Virtvti, Pietati, Fidei, Pvdicitiae, Spei.

III. Porro autem quae bona vitae esse crede-

rentur, ea quoque in divinitatis iura immittere aequum visum. Ea de causa cultae cum reliquis Diis fuere, suasque singulae obtinuerunt aedes CONCORDIA, PAX, QVIES, SALVS, FELICITAS, LIBERTAS.

IV. Sed et noxias aliquot res ad eundem dignitatis gradum extollendas curaverunt, ea nimirum mente, ut, quando iuvare non poterant, ne nocerent. Ita actum cum FEBRIBVS, PALLORE, PAVORE, TEMPESTATE.

V. Aliis non paucis Diis humanae vitae rationes ortum dedisse dici possunt, quippe qui ad has veluti accurandas sint comparati. E quibus ecce tibi nonnulli.

Ad infantium custodiam inventae Deae Diique sunt: CVNINA, quae eos in cunis tueretur; PAVENTINA, quae pavorem arceret: OSSILAGO, quae ossa solidaret: EDVSA et POTINA, quae a lacte amotis cibum potumque ministrarent: FABVLINVS et STATELINVS, quorum alter, cum illi fari, alter, cum stare inciperent, curam ipsorum gereret.

Ceteris aetatibus alia fuere Numina attributa. Ex hoc erant numero AGENORIA, quae ad agendum exciret: STRENVA, quae ad res strenue gerendas impelleret: CATIVS, per quem cati homines fierent: ABEONA, et ADEONA, abeuntium una, altera adeuntium praeses: AVERRVNCVS, malis averruncandis praepositus.

VI. Atque tenes hactenus, unde plurima Deorum turba exorta fuerit. Verum inter celeras omnes nec illa celeberrima origo est, qua illorum multi e viris, quos divinae Literae commemorant, effecti sunt. Scilicet quae minime vulgaria de iis sacra Historia narrat, aut fama vulgaverat, mirum in modum ethnicorum animos permovebant. Itaque illi id maxime operam dederunt, ut eosdem

in primarios suos Deos verterent conformarent-que. Id autem ipsum est, quod iam enucleare est animus. Neque tamen de omnibus hoc praestabimus, sed de iis tantummodo, in quibus proposita veritas magis eluceat.

§. III.

De Saturno.

Deorum unum omnium vetustissimum SATVRNVM ita finxit antiquitas, nihil ut omiserit, quin apertissima in eo Noachi imago luce ipsa meridiana clarius emicaret. Quod quam vere dicatur, collatione inter utrumque facta statim perspicies.

I. Vt a nomine ducatur exordium, est illud quidem a סתר *Mathar latere*, non quod, pro eo ac fabulati sunt poëtae, iram ut ille Iovis effugeret, ad Italiae litora advectus in Latio se occuluerit (42); sed quod reapse Noe in arca delituisset.

II. Porro Saturnus, eiusque uxor Rhea ex Oceano nati ferebantur. Ab ea procul dubio id fuit causa, quod Noe et coniux (una cum filiis nuribusque) e diluvii aquis universam iam terram contectam habentibus emerserunt. Quod si vero, ex alio Hesiodi commento, e Caelo et Terra orti

---

(42) Hoc ita expressit Maro VIII. Aeneid. 319.
Primus ab aethereo venit Saturnus Olympo,
Arma Iovis fugiens, et regnis exsul ademptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit; legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam LATVISSET *tutus in oris.*

illi fingantur, nihilo tamen minus veritas stabit, cum *caeli et terrae filios* poëtae dicerent, quos omnium putarent antiquissimos.

III. Ad haec, Iove, Neptuno atque Plutone exceptis, cunctos Saturnus filios devorasse dictus. Noe namque universos consumpsit, videlicet consumendos praedixit: quo plane sensu ab Apostolo ad Hebr. XI. 7. *Noe . . . damnasse mundum* scribitur; cum non insolitum in sacris Literis sit, ut aliquem quid fecisse tradatur, quod vel fieri non vetuit, vel faciendum praenunciavit. Ipsos autem tres Saturni filios a morte servatos non alios re fuisse, quam Noe liberos, ubi de singulis sermo erit, luculenter patebit.

IV. Iam navis, qua ad Italicas oras incolumem pervenisse Saturnum fama erat, et quam Ianus nunc temporis Italiae rex ad perpetuam recordationem nummis exinde cusis expressisse dicebatur, quid, quaeso, aliud indicavit, nisi dignissimam sempiterna memoria arcam illam, per quam salvus a communi interitu factus est Noe?

V. Quoniam vero Noachum agricolam egisse, vineamque plantasse a Scripturae testimonio notum erat; eam ob rem Saturno et agrorum culturam, et vitium sationem mancipaverunt. Itaque apud Virgilium VII. Aeneid. 179. dicitur idem:

VITISATOR curvam servans sub imagine falcem.

VI. Aurea certe aetas, quae regnante in Italia Saturno floruisse ferebatur, celebratissima ubivis gentium fuit. De ea plenis buccis locuti poetae ecquid non felicitatis inde orbi illatum praedicaverunt? cum nimirum, fide ac veritate nosquam non regnante, omnia apprime composita fuisse; nulloque adhuc aut publici privatique iuris, aut dominatus servitutisque discrimine invecto, univer-

sum orbem quasi unam familiam exstitisse creditum fuit. Cuius rei aliqua in eo per posteritatem servata imago est, quod Saturnalibus aequato iure servi cum dominis promiscuae ad mensam accumberent.

Id autem omne Saturni regno attributum, quantopere Noacho iam uni in terris cum sua familia superstiti congruat, pluribus declarari necesse non est.

VII. Denique cum Noe totius diluvium consecutae aetatis princeps parensque habitus merito sit; ea de causa Saturnum temporis dominatorem, Deorumque universorum patrem fecerunt.

§. IV.

De Iove.

Quanquam non unum Iovem veteres rerum annales prae se ferunt, quin immo Varrone (apud Tertull. Apolog. 14.) testante, treceuti ferme eo nomine insigniti recensentur; de uno tamen illo, qui Saturni et Rheae filius perhibebatur, et cui demum universa aliorum gesta attributa fuere, sermo heic nobis erit.

Hunc ut e patris manibus eriperet Rhea, lapide pro filio ei oblato, Curetibus in Cretae insula enutriendum tradidit. Per hos igitur in montis Idae antro educatus, iamque aetate et viribus confirmatus, ubi cognovit fuisse Saturnum a fratre suo Titane eiusque filiis in vincula coniectum, bellum cum iis gessit, eductumque e custodia parentem in regnum restituit. Exinde vero insidias sibi ab hoc ipso parari intelligens, imperio eum

eiecit. Ac demum universitate rerum cum reliquis duobus fratribus divisa, coelum sortitus est, atque inter universos Deos obtinuit principatum. Quod cum postea aegre Gigantes ferrent, dominatione eum sua privare armis conati, devicti penitus profligatique sunt.

Iam quid veri, atque unde haustum fabella haec contineat, videamus.

I. Iupiter sane ipse Cham fuit Noachi filius. Quare deducta indidem appellatione dictus et *Ammon* ille fuit, eoque nomine tum tota in Lybia, tum vero potissimum in Aegypto cultus, ubi nimirum Cham, cui obtigerat Africa, sedem collocaverat. Unde natum, ut regionibus illis nomina tum a Chamo, tum ab Ammone fuerint arcessita. Ita non raro Aegyptus *Terra Cham* (ut Psalm. CIV. 27. et alibi pluries) appellatur, et a Plutarcho (de Isid. et Osirid. Χημία *Chemia*: ac vicissim Diospolis Aegypti urbs nuncupata a Prophetis est (uti e reliquis a Ieremia XLVI. 25.) נאאמון *No-Ammon*; ad hoc apud profanos *Ammonia*, Marmaricae urbs audiit; et *Ammoniaca* regio, ubi templum Ammonis; tota denique ipsa Africa, *Ammonia*.

Nec vero in *Ammonis* tantum vocabulo emicat Chamus, sed in illo etiam, quo per Graecos postea designatus Iupiter est; quorum hoc studium fuit ut in nominibus commutandis priorum notionem retinerent. Illud namque, uti constat, Ζεύς fuit; quod a ζεῖν (*calere*) deductum, nihil, quod ad vim attinet, a voce *Cham* distare videtur, cui nimirum (ex Bocharti I. Phaleg. I. notatione) Hebraicam חם *Hham calidus* originem praestitit.

II. Verum quid est, quod Iovi caelum tanquam singulari quodam iure debitum tribuerunt? Scili-

cet quia Cham Africam obtinuerat, quae caelo proxima ducebatur. In quam sententiam dixit Lucanus I. 9.

Terrarum prima Libyen (nam PROXIMA
CAELO est ,
Vt probat ipse calor) tetigit.

Et Silius III.

AD FINEM CAELI medio tendantur ab orbe
Squalentes campi.

III. Quod vero Iovi primae inter reliquos Deos datae sint, mirum non esse debet, cum praecipui Numinum artifices et architecti posteri Cham exstiterint, qui propterea in divinitatis honore impartiendo principem locum auctori generis sui detulerunt. Atqui hinc praeterea liquet, *Iovis* appellationem non aliunde posse rectius deduci, quam ex Hebraea voce יהוה *Iehovah*: etenim ut divinum ei principatum assererent, ipsum unius summi verique Dei augustissimum nomen indiderunt. Eadem de re factum videtur, ut saepe ille Ζεὺς πατὴρ, et Ζεὺς, βασιλεὺς diceretur; quin et per antonomasiam Πατέρ. Ita apud Homerum Iliad. π 250.

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε Πατὴρ ἕτερον δ' ανένευσεν.

Illi alterum dedit Pater, abnuit alterum.

Et apud Virgilium I. Georg. 121.

. . . . *Pater ipso colendi*
Haud facilem esse viam voluit.

Ad idem posteritatis in Iovem studium referri potest cognomen; quo eum Αἰγίοχον vocaverunt. Quanquam enim id ἀπό τῆς Αἰγός (*a Capra*) derivari solet, quod Cham, ut reliqui Africae incolae, vestimento e caprina pelle confecto uteretur; non alienum tamen a iusto sit opinari, arcessitum illud ab eximia nomenclatura, qua dice-

retur Deus יהוה צבאות *Iehovah Tsebaoth Deus exercituum.* Cum enim altera harum vocum tum *exercitus*, tum *capreas* denotet, facile fuit, ut gentes perperam id vertentes Αἰγίοχον Iovem cognominaverint.

IV. Nec magnificis modo appellationibus e sacro Codice petitis, sed stupendo etiam facinore indidem expresso exornare Deorum principem studuerunt. Nam quod de Babelicae turris molitione, *cuius culmen ad caelum pertingeret:* deque omni eo consilio per Deum everso narratur Gen. 11. totum hoc ita in Iovem transcripserunt sui, ut dicerent, cum gigantes de caelesti eum sede exturbare induxissent animum, atque ad id Olympo Ossam, tum huic Pelion imposuissent, commissa inde pugna a Iove mox profligatos disiectosque fuisse. Cuius quidem generis bellatores proceritate ac viribus summopere insignes ideo in hanc scenam inductos maxime credi queat, quod Nemrod Babelici operis machinator, dicitur Gen. X. 9. *Robustus venator coram Domino*, scilicet robore praeter modum omnem instructus; sed vero etiam ex Syriaco, et Arabe *Gigas.* Cetera porro eam de Iove narrationem spectantia quam clare sacram ipsam memoratam historiam adumbrent, quivis primo intuitu perviderit.

V. Patefactum hactenus satis est, quam multa de Iove per Numinum commentores dicta, ex uno sacrae Scripturae fonte sint derivata. Reliqua vero, quibus eandem fabulam placuit convestire, quaedam credo fuisse veluti ad ornatum additamenta, qualibus eiusmodi inventa ad maiorem vel admirabilitatem, vel verisimilitudinem captandam instrui consueverunt.

Tale fuit, quod de lapide, quem Saturno pro Iove Rhea exhibuerit, effutiverunt. De quo tamen

ipso negligenda non sunt verba Prisciani. V. *Abadir Deus est: dicitur et hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Iove, quem Graeci Βαίτυλον vocant.* De qua Graeca appellatione notatu maxime dignum illud occurrit, per eam non modo lapidem, de quo hic sermo est, fuisse designatum, sed quosdam alios in quos non vulgaris erat cultus atque religio. Hi nimirum, quorum alii Saturno, alii Soli, alii aliis sacri erant, et animati esse, et moveri, et oracula reddere dicebantur. Cuius certe tum rei, tum in primis vocis Βαιτύλον originem satis patet ex eo desumptam, quod de Iacob narrant divinae Literae Gen. XXVIII. 18. et seq. *Tulit lapidem . . . . et erexit in titulum . . . vocavitque nomen urbis BETHEL.* Vnde videas rursus licet, quam late sacerrima quaeque in sua transferre ethnici conarentur.

§. V.

De Neptuno.

I. Neptvnvm, qui aliis fuit Saturni et Rheae filius, a Iapheth Noachi libero alium non fuisse multis opus non est, ut demonstretur. Illi namque, facta orbis partitione, maris, insularum, ac maritimarum regionum imperium obvenisse traditum memoriae est: quare apud Lactantium I. de fals. relig. II. *Iupiter, imperium Neptuno dat maris, ut insulis omnibus, et quae secundum mare loca sunt, omnibus regnaret.* Certe autem Iaphetho loca maritima, et insulas in sortem cessisse testatur Moses.

Porro *Neptuni* vocabulum per se ipsum clamat ab Hebraeo נפתה *Niphthah aperiri, extendi* profectum se se fuisse. Quod procul dubio mirum quantum convenit tum cum *Iaphethi* appellatione, cuius vis a *dilatando* est; tum cum precatione illa, qua Noe quasi a nomine ipso petita sic bene ei dixit Gen. IX. 27. *DILATET Deus Iapheth.* Quo plane referenda etiam est alia eidem Neptuno data a Graecis nomenclatura, per quam vocatus Ποσειδῶν; quippe cum haec non aliunde verius orta sit, quam a Punico פשיטן *Pesitan* i. e. *lato* et *expanso*, prout docuit Bochartus I. Phaleg. 2.

Vides igitur in Neptuno coloribus minime obscuris expressum Iapheth.

II. His ita compositis, ex ipso deinde maritimo imperio in Neptunum collato ortum duxere alia, quae de eodem praedicata passim fuerunt.

1. Ex hoc genere exstitit potestas concutiendi terras, qua pollere ille dictus, et cuius causa non raro Ἐννοσίγαιος audiit; videlicet quia tempestatum vi concuti interdum terrae velut videbantur. Quocirca ad illud Maronis II. Aeneid. 610.

Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit:

ita adnotat Servius: *Ipsi* (Neptuno) *fundamenta sunt consecrata, cuius et moventur arbitrio. Unde Ἐννοσίχθων dicitur, hoc est, Terram movens aquae concussione.*

Quoniam vero qui terram commovere ac labefactare valeret, eum et firmare posse rati sunt, idcirco etiam Ἀσφάλιον *Firmatorem* nuncupaverunt.

2. Ad hoc fuisse per Neptunum tridentis ictu eductum primum e terra equum dictitarunt. Quod sic literis mandavit Maro I. Georg. 13.

. . . . . . Tuque o, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune.

Vnde fuit, ut *Hippii* quoque cognomen ἀπὸ τοῦ ἵππου (*ab equo*) eidem affingeretur. Sed et inde manavit, ut, tanquam dominator equorum curru vectus exhiberetur. Hoc pacto V. Aeneid. 818.

Iungit equos curru genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnes effundit habenas:
Caeruleo per summa levis volat aequora curru.

Quod omne commentum etiam a Neptunio illo maris dominatu repetit Servius. Etenim ad prolatum modo Georg. locum inquit: *Ideo dicitur* (Neptunus) *invenisse equum, quia velox est eius numen, et mobile, sicut mare. Vnde etiam Castor et Pollux, quia eorum velocissimae stellae sunt, equos in tutela habere dicuntur.*

3. Ad eandem denique potestatem referendus videtur Tridens, in manus Neptuno traditus. Sive enim designata eo velis tria aquarum genera, maris, fluminum, lacuumque, quae una est de ipso opinio; sive, quae fortasse aptior, tres orbis partes (quot olim notae) mari plurima ex parte circumseptas: proposita semper res se adumbratam prodet.

§. VI.

De Plutone.

I. Qui superest Noachi filius Sem, versus is quidem a superstitionis auctoribus in PLVTONEM fuit. Nam quae duo praedicata de hoc sunt, fuisse

eum scilicet tum divitiarum, tum inferorum Deum, palam est ambo ea a Semo desumpta.

Certe, quod ad alterum horum attinet, factum id ex eo, quod locupletissima omnium regio contigit Semo, Asia videlicet, quae, praeter reliquam rerum copiam, maxime metallorum fodinis abundavit. Itaque cum primis Ophir, Hevila, Saba, urbes in illis oris positae, fuerunt ob auri vim celebratissimae. Ea igitur de causa ΠΛΟΥΤΟΝ, nomine cum divitiis communi, Graeci illum appellaverunt.

II. De altero autem, quod nimirum praefectus inferis idem fuerit, ea est non unius opinio, ortum hoc ex invidia fuisse; quod, cum in Semi familia, ac posteritate veri Dei cultus constitisset, fabularum architecti eum per despectum in inferna loca detruserint. Verum non perperam credi queat, ansam huic toti rei a fodinis ipsis in Semi ditione frequentibus datam esse; quippe quae vix, ac ne vix quidem ab inferis diversae consererentur. Hinc Statius IV. Silv. 7. inquit:

Dalmatae montes, ubi DITE VISO
Pallidus fossor redit, erutoque
Concolor auro.

Et Plinius XXVIII. 1. *Imus in viscera terrae, et in SEDE MANIVS opes quaerimus.*

III. Semum etiam alia nomenclatura Plutoni adiuncta, non latenter ostentat. Est enim illa Ἀΐδης, vel Ἅδης, ab Hebraico אֵיד *Ed*, quod *mortem* et *exitium* denotat, derivata. At *Semi* appellationi, originem vox שַׁמָּה *Sammah vastitas* praebuisse creditur. Vide quantum et haec nomina in idem conspirent.

§. VII.

De Mercurio.

I. Chamo in Iovem mutato, ex eius dein filio Chanahan effictus est MERCVRIVS: qui propterea Iovis progenies vulgo habitus. Nomina inter se ipsa mire conveniunt: nam cum כנען *Chanahan* Hebraice sit *mercator*, simili modo a *mercibus* deducta *Mercurii* fuit appellatio.

II. Neque vero solum nomine, sed re quoque Mercurius suis fuit auctoribus negotiator, atque huius generis hominum patronus. Quapropter peculiari eum cultu prosecutos fuisse mercatores testatur Ovidius Fast. V. sic ipsum alloquens:

Te, quicumque suas profitetur vendere merces,
Ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogat.

Hoc autem ab ea manavit causa, quod e Chanahan orti Phoenices mercaturam primi, unique maxime omnium mortalium exercuerunt.

III. Idem porro inter fures obtinuit principatum. Itaque vocatus a Graecis Ἑρμῆς fuit ab Hebraeo vocabulo ערום *Harum callidum* denotante; quippe cum sit calliditas maxime furum propria. Hinc Flaccus I. Od. 9. hoc eum insignit praeconio:

Callidum, quidquid placuit, iocoso
Condere furto.

Atque eam ob rem illius statuae ante aedium fores poni solebant, ut per eum inde fures abigerentur.

Eiusmodi sane inventum ex eo ortum fac censeas, quod iidem Phoenices, Chanaani soboles, vafritie, subdolaque fide famosos se se admo-

dam praestiterant; ut properea apud Graecos *Phoenicum pacta* et *Phoenicum mendacium* in proverbium venerint.

17. Ad haec itinerum praeses factus Mercurius est; aptoque ad rem nomine a Graecis ea de causa Ἐνόδιος (*Vialis*) dictus. Vnde natum, ut eius imagines in compitis quasi commonstraturae semitas locarentur.

Id vero extrilla, uti paret, causa traxit originem, quod Phoenices crebris longisque itineribus, ad deducendas potissimum huc illuc colonias susceptis, singulare sibi nomen comparaverant.

V. Inventas a Mercurio fuisse literas fama fuit. In quam sententiam Tullius III. de Nat. Deor. 22. scripsit: *Mercurius dicitur . . . . literas tradidisse.*

Certe ab arte per Phoenices primo invecta desumptum hoc ipsum videtur: de quibus cecinit Lucanus III.

Phoenices primi, famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

VI. Dicta ea hactenus de Mercurio sunt, per quae incertum non sit, ipsum e Chanaano exstitisse. Verum et alia non pauca sunt, quae in eum a Moyse devenerunt. Quod mirum esse non debet: etenim in commentitiis hisce narrationibus, quemadmodum nonnunquam una sacrae historiae persona in duas distracta est, ita et contra duae fuerunt aliquando in unam conflatae.

1. E Mosis igitur gestis prodiit cum primis Caduceus Mercurio attributus, virga duobus anguibus circumplicata. Quo quidem ita ille usus fertur, ut per eum non levia multa perpetraret, prout retulit Maro IV. Aeneid. 242.

Tum Virgam capit; hac animas ille evocat Orco,
Pallentes alias sub tristia tartara mittit;
Dat somnos, adimitque, et lumina morte resignat:
Illa fretus agit ventos, et turbida tranat
Nubila.

Ecquis heic, quaeso, Mosis virgam admirandorum operum effectricem, et ubivis veluti dominantem, deprictam lucide non agnoverit? In illo autem praesertim, quod advoluti caduceo serpentes essent, num eiusdem Moysis virgae modo in serpentem versae, modo magorum virgas factas et ipsas angues devorantis, servata per gentes memoria non se patefacit?

2. Quod vero Mercurius insolito prorsus exemplo facie partim atra, partimque aurea pingi apud Aegyptios soleret, id non aliunde profecto melius deduxeris, quam ex eo, quod Moses post congressum cum Deo in monte habitum, immutata iam specie, splendente ac radiante vultu descenderit.

3. Leges a Mercurio fuisse Aegyptis traditas edixit Cicero III. de Natur. Deor. 22. Ipsius quoque monitis ad rectum conformatam vitam hominum asseveravit Flaccus I. Od. 10. his eum compellans dictis:

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus.

Quae quam apte Mosi divinarum legum latori, sanctissimaeque disciplinae auctori quadrent, nemo unus erit, quin pervideat.

4. Iovis praeterea, aliorumque Deorum nuntium uno omnes ore Mercurium praedicarunt. Renamque quid illustrius in Mose fuit, quam ut divinis legationibus ad homines fungeretur?

Atque huc conferre simul causam, decet, quamobrem deloquentiae parens creditus Mercurius fuerit, quandoquidem haud haec videtur a legatorum munere seiungenda.

5. Multae philosophicae doctrinae inventio tributa est Mercurio. Nec mirum; cum in exaratis a se libris Moses maxima illius iecerit fundamenta.

Haec autem de Mercurio satis dixisse sit: unde eum e Chanaano et Mose confectum colligas.

§. VIII.

De Vulcano.

I. Nihil plane VVLCANVM a Tubalcaino fuisse diversum testatur tum nominum, quae statim apparet, convenientia; tum vero maxime unius eiusdemque artis exercitatio. Etenim cum Tubalcain Gen IV. 33. dicatur *faber in cuncta opera aeris, et ferri*, item Vulcano a suis fabri ferrarii impositum munus est.

II. Ex hac ipsa porro origine intelligi non incommode illud fortasse queat, quod eruditorum mentes valde vexavit, ecquid fuerit, quare claudicare Vulcanus diceretur. Etenim Hebraice צלח *Tselah* est *claudicatio*: quae vox ubi aliquanto lenius proferatur, fiat *Sela*, vix quidquam a *Sella* abludens, quo nomine vocata Tubalcaini mater. Itaque ex hac vocabulorum affinitate fieri potuit, ut apud fabularum instructores Tubalcain Selae (non Sellae) filius haberetur; inde vero spectata vi nominis, quae in his figmentis plurimum locum habuit, *filius claudicationis* per eosdem diceretur: quod certe ex Hebraico dicendi genere

idem valere debuit, ac *claudus*; quo nempe pacto *filius iniquitatis* pro iniquo, atque id genus alia. Quapropter non plane temere quis crediderit, e matris Tubalcaini appellatione non recte accepta claudum Vulcanum evasisse.

III. Iam ferrariae arti Vulcano tributae consentanea inde reliqua attexere conati sunt.

1. Peculiarem igitur ei in ignem, maxime illius artis proprium, potestatem dederunt. Quo pertinet cum primis nomen idem Graece factum Ἥφαιστος; quippe cum omnino אב אשתא *Ab esctho Pater ignis* putaretur.

2. Tum apposite ad hoc constitutae Vulcano sedes iis potissimum in locis fuerunt, ubi maxime ignis fervescere videretur, in Sicilia, insulisque Vulcaniis. De quarum una praecipue Vulcano sacra, dicta Hiera (hodie *Vulcano*) haec fert Maro VIII. Aeneid. 416.

Insula Sicanium iuxta latus, Aeoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis.
Quam subter specus, et Cyclopum exesa caminis
Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturae Chalybum, et fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus.

Cyclopes, quos heic poëta ex communi opinione ministros Vulcano adscribit, e Siciliae populis fuisse creduntur, primique fabricam aerariam invexisse. Eos non alienum a re fuerit putare cum Bocharto incolas fuisse היק לוב *Chek loub Sinus Lilybaetani*; unde facta sit Graecanica appellatio Κύκλωπες. Quae vox quoniam id forte tulit, ut bina eam nomina κύκλος (*circulus*) et ὤψ (*ocu-*

lus), conflasse viderentur, hinc, prout in iis rebus fieri consuevit, alii datus est fabellae locus, evulgatumque illos orbiculatu uno media in fronte oculo fuisse instructos. Quod ita expressit Hesiodus in Theog.

Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
Κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἕεις 'νέκειτο μετώπῳ.
Sed Cyclopes erant proprio cognomine dicti,
Vnus eis oculus quod fronte rotundus inesset.

Cum vero illi ipsi memorati Siculi inhumaniores forsitan in peregrinos essent; tum etiam magnitudine corporum praestarent; eas ob res tam multa poëtae de Cyclopum immanitate, et gigantea statura venditarunt.

§. IX.

De Iano.

I. Plurima sane sunt, quae IANUM non alium quam Noachum fuisse palam faciunt; ut propterea egregium hunc virum iam iterum in fabulosam scenam induci videas.

Ac primum ad nomen quod attinet, nihil est profecto apertius, quam factum illud ab Hebraico יין *Iaiin vinum*, cuius auctorem fuisse Noachum latissime innotuerat. Quod ipsum elucet nonnihil e vetere Italiae nomenclatura, quae olim dicta *Oenotria*, non potius ab *Enotro*, ut aiunt, vel Sabinorum rege, vel Lycaonis Arcadiae regis filio, quam a Graeco οἶνος (*vinum*); nec tam vero quod, uti vulgo opinantur, vini regio ferax esset, quam ab antiquo suo regnatore Iano, qui appel-

latio a vino sumpta adhaeserat: quandoquidem perfrequens illa fuit, quam alibi memoravimus, Graecorum cura, ut traducta aliunde per eos nomina vim tamen primigeniam retinerent. Itaque dictam *Oenotriam* crediderimus, quasi terram *Iani*, sive quod idem fuerit, *Iano regnatam*.

II. Novi porro, prorsusque insoliti inventi, quo Ianus factus est bifrons; hanc ipse met causam profert apud Ovidium Fast. 1. 135.

Omnis habet geminas hinc, atque hinc ianua frontes,
E quibus haec populum spectat, at illa larem.
Utque sedens vester primi prope limina tecti
Ianitor egressus, introitusque videt;
Sic ego prospicio caelestis ianitor aulae
Eoas partes, Hesperiasque simul.

At vera tanti prodigii origo fuit, quod Noe (ipse ethnicorum Ianus) utrumque et ante, et post diluvium Orbem viderit, cumque veluti occidentem, orientemque iterum fuerit conspicatus.

III. Huc autem non valde dispari ratione referendum est, quod omnia Ianus claudere, ac reserare credebatur; ex qua gemina potestate *Clusius* et *Patulcius* appellatus. De qua tota re sic idem per Ovidium ibid. loquitur:

Quidquid ubique vides, caelum, mare, nubila, terras,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.
. . . .
. . . .
Nomina ridebis, modo namque Patulcius idem,
Omnia sunt nostra clausa, patentque manu.

Ex qua vulgata de eo opinione factum, ut tum ianuis universis, tum vero et ipsi anni initio praeficeretur.

Scilicet id omne profectum a Noe fuit, qui dici quodammodo potuit, vetere concluso terra-

rum orbe, novum exinde alterum aperuisse.

IV. Iam auream aetatem, quam ab aliis Saturno attributam supra retulimus, alii porro regnante Iano floruisse tradiderunt; quippe quod unum Noachum, ad quem vere illa pertinuit, ambo haec Numina repraesentarint. Ianum igitur idem poëta haec de se dicentem inducit:

Tunc ego regnabam, patiens cum terra Deorum
Esset, et humanis Numina mixta locis.
Nondum iustitiam facinus mortale fugarat:
Vltima, de superis illa reliquit humum.

Intueris profecto heic primi a diluvio saeculi, innocentia, pietate, iustitia sub Noacho vigentis effigiem satis expresse repraesentatam.

V. Navem denique, quae Iani nummus insignibat, singulare fuisse arcae Noe monumentum iam alibi observavimus.

§. X.

De Baccho.

Tres simul divinae historiae personas, Noachum, Nemrod, et Moysen a Baccho actas fuisse res ipsae testantur. Quod tamen ita contigisse credibile est, ut cum pro diversa veterum opinione vel tres, vel quinque Bacchi exstiterint, petita e sacris libris non omnia statim uni, sed alia alii dispertita sint, donec postremo universa in uno eodemque coaluerunt. Verum quid tandem a singulis, quas indicavimus, sacrosancti Codicis personis multiplex hic Bacchus acceperit, intueamur.

I. Vnicum quidem est, quod a Noacho in Bac-

chum traduci placuit; id autem sane quam conspicuum, quodque ultro quemvis de sua origine moneat. Dictus is enim fuit primus vineam plantasse, perque id vini usum mortalibus intulisse Quid, quaeso, planius manifestiusque?

II. Plura porro fuere, quae in illum a Nemrodo translata apparent.

1. Ab ipso primum habuit Bacchus nomenclaturam: quae communi consensione censetur eadem esse ac בר כוש *Bar-Chus*, scil. *filius Chus*, qui plane ipse est Nemrod Chuso progenitus. Sed praeterea Νηβρωδεα vocatum Graecis fuisse Bacchum constat: in quo ecquis non expressum *Nemrod* persentiscat? quanquam Graeci longius abeuntes, a *nebride*, qua indutum id Numen esset, eiusmodi vocis etymon arcessiverunt.

2. Quoniam vero vocabulum *Nemrod*, quod ad formam attinet, non nimium a נמרא *Nimra* abludit, per quod Chaldaei designatam *tigrim* voluerunt, inde manasse videtur Bocharto (I. in Phaleg. 2.), ut et ad Bacchi currum adiungerentur tigres, et ipse pelle tigridis convestiretur.

3. Adhaec Ζαγρεὺς (*validus venator*) audiit Bacchus; at quanam magis de causa, quam quod Nemrod Gen. X. 9. *robustus venator* dictus a Moyse fuerit?

4. Bella quoque, queis Bacchus Indos subegisse perhibebatur, revocari haud difficulter ad ea possint, per quae Nemrod suam in potestatem plures circa populos redegit.

III. Cum autem relata hactenus eius sint rationis, ut satis adumbratam in Baccho tum Noachi, tum Nemrodi effigiem exhibeant; tot tamen, ac tam spectabilia occurrunt e vita factisque Moysis illi adscita, ut ex hoc uno vel totum prope iuraveris conformatum. Quae ipsa, unde dicti

veritas elucescat, fac iam heic proposita contempleris.

1. Natum in Aegypto Moysen certo certius est. Eandem terram commentores falsitatum Bacchi natalibus assignaverunt.

2. Tribus vix ab ortu elapsis mensibus expositum a matre in fiscella scirpea Mosen ad flumen Nilum fuisse declarat sacer Codex Ex. II. 3. Non dissimili modo infantem Bacchum arcula inclusum, proiectumque in profluentem tradidit fabula; unde et ea opinio tenuit, exstitisse quendam Bacchum Nilo enatum. (Cic. III. de Nat. Deor. 23).

3. Inventum Moysen filia Pharaonis *adoptavit in locum filii*, uti narratur Ex. II. 10. cui propterea duae veluti fuere matres, altera quae genuerit, altera quae adoptaverit. Ex quo datur intelligi, quare Bacchum tam Graeci *διμήτορα*, quam Latini *bimatrem* cognominarint.

4. Quoniam vero Moses ubi de Sinai descendit, e medio ignis, fulgurum, tonitruumque, queis mons ardebat perstrepebatque, egredi visus fuerat; dictus exinde est Bacchus in lucem inter ignes ac fulmina prodiisse, *πυρισπόρος* idcirco, atque *ignigena* nuncupatus.

5. Afficta Baccho cornua fuerunt; cum scriptum de Mose sit Ex. XXXIV. 29. *quod cornuta* (i.e. splendida) *esset facies sua*. Natum id quidem totum a duplici notione vocis קרן *Karan splendorem* simul, et *cornu* denotantis. Haec ipsa igitur, quae ad lumen vultus Moysis significandum adhibita ibi est, non recte a fabularium narrationum auctoribus intellecta fecit, ut Baccho cornua adderentur.

6. A subactis Indis victor rediisse Bacchus dicebatur; quia scilicet rumor sparserat (quod et refert Iosephus II. Antiq. 3.) illato Moysen in Aethiopes bello rem egregie gessisse; qui et

reapse ex Aegypto contermina Aethiopiae victor excessit: inter Aetiopiam autem, atque Indiam vix ullum apud veteres discrimen fuit. Hinc Nilus, quem ab Aethiopicis finibus delabi compertum est, dicitur a Marone IV. Georg. 293.

Vsque coloratis amnis devexus ab Indis.

7. Iam porro quae de Bacchi expeditionibus, de eius exercitu non minus mulieribus, quam viris instructo, deque Iove sub aquilae specie illius copias ducente iactata sunt, quid aliud oculis subiiciunt, quam formata nativis lineamentis exemplaria tum instituti a Mose universoque ejus populo celebratissimi itineris, tum caelestis praesidii, quo Deus O. M. Israëli ducem se praestitit? cum praesertim de ipso Domino legatur Deut. XXXII. 10. *Circumduxit eum, et docuit. . . . Sicut Aquila. . . . assumpsit eum.*

8. In comitatu Bacchi, qui musices teneri studio creditus, cantores, saltatores, musasque ipsas fuisse prodiderunt. Hoc autem hausisse ex eo videntur, quod Exod. XV. 1. et 20 narratur, demersis mari rubro Aegyptiis hostibus, tum Moysen cum virorum coetu magnifice carmen Domino concinuisse; tum Mariam Aaronis sororem inter mulierum tympana pulsautium choros idem laudationis officium persolvisse.

9. Quid vero? Edita prae ceteris duo illa per Mosaicam virgam prodigia, cum eius vi vel Erythraeum mare patuit bipartitum, vel e percusso silice aquae prosiluerunt; ea in Bacchum item a falsis veri imitatoribus transcripta sunt. Etenim cum ei Thyrsum, hastam hedera redimitam, tradidissent, tum porro evulgarunt (quod habetur apud Nonnum in Dionys. XXIV. et XXV). exsiccata huius ope flumina Orontem, atque Hydaspem libero illum pede traiecisse; ad haec eius-

dem ictu fontem illico e terra elicuisse, prout refert Pausanias IV, in fine. Feruntur quoque Bacchae ipso adhibito thyrso aquas e lapide eduxisse. Quo autem evidentius appareat, hanc Bacchicam hastam a Mosaica virga alienam nihil fuisse, mandatum praeterea posteritati est, eam aliquando humi stratam serpentis modo reptasse.

I. Adiectum etiam structae de Baccho fabellae fuit, per eum et patriam in libertatem fuisse vindicatam, et leges, easque δίπλακας (*duplices*) perlatas, et caeremonias ad Deorum cultum institutas. Quae sane omnia per se a suo se Moyse desumpta significant, qui tum Israëliticam gentem servitute Aegyptiaca exemit, tum divinas leges duabus conscriptas tabulis promulgavit, tum denique sacrorum rituum ex Dei ipsius praescripto auctor fuit.

II. Canem denique Baccho comitem mancipaverunt, adducti, prout videtur, ad id rei a notione Hebraicae vocis כלב *Cheleb canem* indicantis; quippe quae, ubi forma spectetur, nil ferme absit a nomine Caleb, qui e sociis Mosis unus maxime inter eos emicuit, queis Israëliticus dux ad explorandam terram in Chanaan usus est.

§. XI.

De Apolline.

Mosen, cuius gesta mirum quantum animos hominum occuparant, in Apollinem quoque convertere fabularis historiae scriptoribus placitum est.

I. Itaque primum, ut infantis Moysis ad Nilum proiecti speciem in Apolline proponerent, natum hunc inter duo flumina tradiderunt.

II. Deinde χαρνειον cognominatum voluere; procul dubio a קרן *Karan*, de quo supra, acque *splendorem*, et *cornu* indicante. A qua postrema notione διχερως (*bicornis*) vocatus ille etiam fuit. Quod sane qua ratione ad Moysen pertineat, declaratum iam ante in Baccho est.

III. Praeterea Arabiae campos incoluisse perhibitus est Apollo, necnon pastoriiam artem exercuisse. Quocirca apud Statium I. Sil. 4. ita loquens inducitur:

. . . . . Iungam ipse manus, atque omne benigne
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis,
Aut Amphrysiaco pastor de carmine carpis.

Certe quidem Mosen fuisse in Arabia eductum, et soceri sui Iethro greges pavisse notum a divino testimonio est Ex. II. et III.

IV. Rex, cui Apollo pastorem agens deservivit, Admetos fuit. Scilicet vere ἀδμητος (*indomitus*) dici potuit, qui Moysen cum omni populo servitute constrictum habuit, rex Pharao.

V. Pythonem porro, immanem serpentem, occidisse Apollo dictus: a quo et *Pythii* sibi nomen comparavit. Moses quidem et serpentes a magis exhibitos virgae suae virtute absumpsit, et ignitorum serpentium impetum aeneo serpente perfregit.

VI. Incurrit etiam maxime in fabulatorum oculos, quod Deut. III. narratur de Og rege Besan per Moysen interfecto, fuisse eum scilicet et de stirpe gigantum, et eius magnitudinis, ut ipsius lectus novem esset cubitos protentus. Itaque huius rei exemplo Tityum commenti sunt ab Apolline occisum esse, stratumque novem terrae iugera occupavisse. Quare a Tibullo I. Eleg. 3. dicitur:

Porrectusque novem Tityus per iugera terrae.

VII. Iam cum laudationis officio a Mose post habitam de Pharaone victoriam praestito, vide sis quantopere id congruat, „quod idem poëta II. 5. de Apolline enuntiat, quem ait:

. . . . Saturno rege fugato
Victori laudes concinuisse Iovi.

VIII. Ipsum vero divinum carmen a Moyse compositum, atque ab eodem prius virorum chorum ducente musices modis recitatum, inde a muliebri multitudine concentibus item, tympanorumque sonitu iteratum, effecisse videtur, ut poësis ac musicae princeps, Musarumque dux Apollo haberetur. Quod idem fere de Baeco creditum superiore §. retulimus.

SED IAM satis de Apolline; atque adeo de universa Deorum ratione, et origine. Neque enim plura addere animus suadet, contentus admodum, ea modo de hoc commentitiarum rerum genere proposuisse, unde quid aptius utiliusque in adolescentium doctrinam redundaret.

CAPVT VIII.

De Nuptiis.

QVaecunque de Nuptiis edisserenda sunt, tripartito, prout res ipsa dat, exsequemur. Ac primum omnium de Sponsalibus; tum de varia contrahendorum Matrimoniorum ratione; Postremo de Nuptiali apparatu rituque agemus.

§. I.

De Sponsalibus.

I. Futurarum Nuptiarum pactiones, *Sponsaliorum* nomine dictae sunt. Cum enim per stipulationem fierent, *Spondendi* verbum, stipulationibus omnibus familiare, ad illas etiam adhiberi mos fuit. De qua re scripsit Gellius IV. 4. *Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat* (scilicet a patre, vel a tutore (43) illius (*stipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat daturum.* Eius stipulationis formula profertur a Plauto Curcul. V. 2.

Ph *SPONDESNE, miles, mihi hanc uxorem?*

M. *SPONDEO.*

Huius vero generis stipulatio non ipsas modo nuptias, sed dotem etiam spectare consuevit.

---

(43) Nempe mulier aut in patris, aut in tutoris potestate erat. Ita enim de mulieribus statutum fuerat, ut, si non patria potestate, tutela perpetua continerentur. Quare Cicero pro Mur. 12 inquit: *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt.* Ex quo factum, ut nihil, quod ratum foret, agere mulier posset, nisi tutoris auctoritas accessisset. Vnde est illud apud Livium XXXIV. 2. *Maiores nostri nullam, ne privatam quidem rem, agere feminas sine auctore voluerunt.* Atque hoc genus iuris fecit, ut mulier (nisi in patris adhuc potestate esset) nuptias, praeterquam ex auctoritate tutoris, contrahere non posset. Hac igitur de causa qui uxorem ducturus erat, cum eius vel patre, vel tutore agere de futuris nuptiis debebat.

Vnde est illud apud eundem Trin. V. 2.

Lys. *SPONDEN' ergo tuam gnatam uxorem mihi?*

Ch. *SPONDEO, et mille auri Philippum dotis.*

Lys. *Istac lege filiam tuam SPONDEN, mihi uxorem duci?*

Ch. *SPONDEO.* Lys. *Et ego SPONDEO idem hoc.*

Qua sponsione facta, iam illa *Sponsa*, ille autem *Sponsus* appellabatur.

II. Porro autem quae pacta fuerant, et quidem non paucis praesentibus, ea in tabulas, licet id necesse non foret, ex invecto tamen more referri solebant. Hae plane sunt, quas *tabellas sponsaliorum* adpellavit Tertullianus de veland. virginib. 12. Easdem ab illis, qui interessent, obsignari suevisse constat. Huc pertinet illud Iuvenalis VI.

. . . *Veniat cum SIGNATORIBVS auspex.*

III. Certe qui Sponsaliorum celebrationi aderant, quemadmodum nomine omnibus contractuum interpretibus communi nuncupati *Proxenetae* sunt, ita appellatione rei nuptiali propria *Pronubi*, et *Auspices* audiverunt. De qua postrema voce a nativa sua ad hanc significationem traducta haec habet Tullius I. de Divin. 16. *Nihil fere quondam maioris rei, nisi AVSPICATO, ne privatim quidem, gerebatur: quod etiam nunc NVPTIARVM AVSPICES declarant, qui, re omissa, nomen tantum tenent.*

IV. Peractis Sponsalibus, dari sponsae solebant a sponso *Arrhae*, quasi quaedam de futuris nuptiis pignora. Erant autem illae e muliebrium ornamentorum genere; quod paret ex Capitolino in Maximin. jun. 1. Praecipuum in-

ter ea locum obtinuit *Annulus*: qui cum ferreus antea fuisset, ex testimonio Plinii XXXIII. 1. sequiore dein aevo aureus exstitit, rem tradente Tertulliano Apolog. 6.

Sponso vicissim convivium praeberi in more fuit: quod ipsum *Sponsalia* vocitatum. Quamobrem Cicero II. ad Q. Fr. 6. scribit: *Ad VIII. Id. Apr. Sponsalia Crassipedi* (cui fuerat Tullia desponsata) *praebui. Huic convivio puer optimus Quintus tuus meusque, quod perleviter commotus fuerat, defuit.*

V. Illud etiam post Sponsalia servatum est, ut dies Nuptiis diceretur. Qua in re cavere oportuit certos dies: quales fuerant cuiusque mensis Kalendae, Nonae, Idus; Feriae universae; Februarii dies, parentalibus consecrati; Festi ancilliorum dies; totusque Maius: quandoquidem celebrare per id temporis Nuptias ominosum credebatur. (Macrob. I. 15. Plutarch. Quaest. Rom. 103. Ovid. Fast. II. III. et V.).

VBI PORRO statuta advenerat dies fiebant Nuptiae, De quarum ritibus antequam dicamus, diversos modos, queis contrahi solebant matrimonia, expendemus.

§. II.

De Triplici Contrahendi Matrimonii Ratione.

Ex communi veterum scriptorum relatu compertum est, tribus apud Romanos modis contrahi Matrimonia consuevisse, *Confarreatione*, *Coëmptione*, et *Usu*.

I. *Confarreatio* vocata ea ratio fuit, qua certis

verbis, praesentibus decem testibus, ac sollemni sacrificio (cui libum *farreum* adhibitum est) peracto, matrimonium contrahebatur: prout scripsit Vlpianus in fragmentis. Quare ab ipso *farre*, quod in illo sacro praecipuum erat, appellationem toti rei comparatam tradiderunt cum Dionysio (p. 95.) alii vulgo scriptores. Ex quo rursus dictam *Diffarreationem* coniugii dissolutionem creditum est, quod scilicet farris usus etiam ad hanc sollemnis esset. De quo ritu sic Festus: *Diffarreatio genus erat sacrificii, quo inter virum et mulierem fiebat dissolutio: dicta diffarreatio, quod fieret farreo libo adhibito* (44).

Hanc autem *confarreandi* rationem non solis pontificibus ac flaminibus propriam fuisse (quod cum recentioribus aliis sensit Boetlius ad Cic. Top. 3.), sed universis Romanis civibus communem, patet ex Dionysii dictis l. l. Verum tractu temporis totum hoc genus, quod ab Vrbis exordio vigueraт, desuetudine paene interiit: quod elucet ex Tacito IV. Annal. 16. ubi *omissa confarreandi assuetudo, aut inter paucos retenta* dicitur.

---

(44) Aliter de *Confarreationis* ac *Diffarreationis* etymo sensit Mazochius in de Sponsal. p. 198. videlicet eas voces non a *farre*, sed a verbo *fari* derivatas fuisse. Et quod ad *Confarreationem* primum spectat, certe Vlpianus loco, quem supra laudavimus, duas huius nuptialis ritus partes enumerat, *farreum* libum, et *certa verba*. Itaque Noster ab his potius, quam ab illo, nomen toti rei quaesitum fuisse opinatus est; ita ut *Confarreatio* a vocabulo *fari*, ac pressius ab antiquo *confari* deducta, sollemnis quaedam fuerit verborum ac formularum conceptio, quibus mutuo pronuntiatis nuptiae contraherentur. Tum vero eiusmodi coniugii distractio ob id *Diffareatio* dicta sit, quod eadem per verba prioribus contraria fieri soleret.

II. *Coëmptio* porro quid rei fuerit; et quo pacto fieret, explicat Boëthius in Cic. Top. 2. cum inquit: *Coëmptio certis solemnitatibus peragebatur; et se se in coëmendo invicem interrogabant: vir ita, an sibi materfamilias esse vellet: illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse vellet: ille respondebat, velle.* Quibus sane postremis verbis fiebat, ut in viri *manum*, id est potestatem, mulier *conveniret*. Quare subdit statim idem auctor: *Itaque mulier in viri conveniebat manum; et vocabantur hae nuptiae per coëmptionem: et erat mulier materfamilias viro, loco filiae.* Atque haec quidem *in manum conventio* effecit, ut huius generis matrimonia non alio modo solverentur, quam *manumissione*, quae scilicet fuit *e manu* (i. e. ex potestate) *emissio.*

Iam mulier, quae *in manum convenisset*, quoniam statum mutabat, *minimam capitis diminutionem pati* dicebatur: quod quale sit, mox significabitur, et latius etiam in adnotatione (45). De re Vlpianus in fragmentis haec affert: *Mi-*

(45) Status mutatio dicta generatim est *Capitis diminutio.* Quod loquendi genus e censu natum videtur. Etenim quemadmodum *Capite censi* appellati sunt, quorum solum nomen in tabulas census inferebatur, et servi *caput non habere* dicebantur, quippe qui nentiquam censerentur; qui ex eisdem census tabulis eximebantur, *diminuti capite* vocati sunt. Atque huius certe generis fuerunt, qui libertatem, vel civitatem amisissent; quandoquidem hi in numero civium esse desinebant. Hinc illa in Romanos milites ab hostibus captos iacta a T. Manlio verba, referente Livio XXII. 61. *Et liberi et incolumes desiderate patriam . . . . Sero nunc desideratis, DIMINVTI CAPITE, abalienati iure civium, servi Carthaginiensium facti.*

nima capitis diminutio est, *per quam et civitate et libertate salva*, *status dumtaxat hominis mutatur. Quod fit adoptione*, *et IN MANVM CONVENTIONE.* Hanc autem quare consecuta sit capitis diminutio, ita declaravit Boëthius in Top. Cic. 4. *Mulieres antiquo iure tutela perpetua continebat. Recedebant vero a tutoris potestate*, *quae in manum convenissent. Itaque fiebat eis PRIORIS STATVS PERMVTATIO: et erat CAPITE DIMINVTA*, *quae viri convenisset in manum.* Nempe illa a tutoris potestate recedens in viri mancipium redigebatur; itaque in eius familiam cum universis suis bonis transibat, ut haec ipsius viri propria fierent. De qua re Cicero in Top. 4. *Cum mulier viro in manum convenit*, *omnia quae mulieris fuerunt*, *viri fiunt dotis nomine.* E quibus o-

---

Triplex autem, pro diversa peremptorum iurium ratione, fuit *Capitis diminutio*, quam *maximam*, *medium*, *minimam* Iurisconsultis placuit cognominare.

1. *Maxima* quidem *capitis diminutio* ex civitatis simul libertatisque amissione exstitit. Itaque hanc subibant, tum *capti ab hostibus*, tum *incensi*, tum *servi poenae*; qui omnes in servilem statum redacti habebantur. *De incensis* actum nobis est Part. I. p. 127. adnot. 47. *Servi* vero *poenae* e reliquis fuere, ad metalla, et ad quaevis metallica ministeria damnati. De his scribitur l. 17 de poenis: *Sunt quidam SERVI POENAE*, *ut sunt in metallum dati*, *et in opus metalli.*

2. *Mediam* porro *capitis diminutionem*, quam civitatis tantummodo iactura inferebat, patiebantur *exsules*, ac *deportati*; qui propterea in peregrinitatem decidebant.

3. Postremo *minima capitis diminutio* ad eos pertinuit, qui familiam mutavissent. Id autem fiebat *in manum conventione*, de qua supra; et *adoptione*, de qua dictum Part. I. p. 90.

muibus quisque viderit, quam vere huiusmodi uxores priorem statum permutaverint.

III. Tertius denique contrahendi matrimonii modus dictus est *Vsus*, totus in eo positus, ut mulier integrum annum apud virum commoraretur.

§. III.

De Nuptiali Apparatu ac Ritu.

Restat nunc, ut apparatum ritumque nuptialem videamus. Vbi se primum offerunt, quae ad sponsae ornatum pertinuerunt. Haec ipsa erant *Coma*, *Corona*, *Flammeum*, *Tunica recta*, et *Zona*.

I. Ad *Comam* discriminandam adhiberi debuit hastae cuspis. Quo spectat Ovidianum hoc Fast. II.

Comat virgineas Hasta recurva comas.

Cuius consuetudinis haec fuisse causa ex Plutarchi sententia (Quaest. Rom. 86.) credi potest, quod Hasta Iunoni esset sacra, Iuno vero nuptiarum praeses. Comam autem ipsam in sex *crines* (Italice *trecce*) componere solemne fuit. De qua re Festus: *Senis*, inquit, *crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit.*

Adhaec *Coronam* e floribus herbisque intextam nova nupta gestabat (Fest. v. *Corollam*). Neque eam modo, sed sponsum etiam fuisse coronatum, patefacit Tertullianus de Coron. Milit. 13.

Flammeum vocatum velum fuit, quo sponsae caput obnubi mos fuit. Atque hinc profectum est, ut *nubere*, quod per se ipsum est tegere, idem exinde fuerit, ac in matrimonium collocari.

Tunica recta gestamen quoque recens nuptarum erat. De cuius vestis genere, ac nomine dictum iam ante est p. 20. et seqq.

Zonam denique, seu cingulum, quam sponsae gerebant, e lana ovilla esse oportuit.

II. Alia porro fuerunt, quae a novae nuptae comitibus ferebantur; videlicet *Faces*, *Colus*, *Fusus*, et *Cumerum.*

Faces, e pino plerumque confectae, et ex invecto more quinque ipsae (testante Plutarcho Quaest. Rom. 2.) praeferri eam unam ob caussam solebant, quod noctu nova nupta in domum viri duceretur. Eae vulgo *Faces nuptiales* dictae.

Iam *Colum* comptam, et *Fusum* cum stamine[1], comitata nubentes fuisse auctor est Plinius VIII. 48.

Idem de *Cumero* factum. De quo haec apud Festum: *Cumerum vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia.*

III Reliqua nuptialis apparatus ritusque haec observanda veniunt.

Hymenaeus, carmen nuptiale, ad tibiam canebatur. Hinc apud Terentium Adelph. V. 7.

. . . . *Missa haec face*,
Hymenaeum, *turbas*, *lampadas*, *Tibicinas*.

Aedium postes floribus, frondibus, in primisque lauro exornari solebant. Hunc morem indicat Iuvenalis VI.

Ornentur postes, *et grandi ianua lauro.*

Eosdem vero postes ungebat nupta adipe lupino, ac taeniis adornabat. (Serv. IV. Aeneid. 450. et Plin. XXVIII. 9.). Et unctione sane illa id factum iri rebantur, ut venefica omnia, et exitialia averruncarentur. Quod Plinius. l. c. hoc pacto expressit: »*Ideo novas nuptas*

illo (adipe) *perungere postes solitas*, *ne quod malum medicamentum inferretur.*

Limen ingredienti uxori dabantur claves; quo totam rei familiaris curam custodiamque ei tradi indicaretur. Atque ex hoc quidem more manavit, ut earundem porro clavium ademptio, ubi id fieret, pro repudio haberetur. Huc pertinent Tullii verba II. Philipp. 25. *Mimam illam suas res sibi habere iussit ex XII. tabulis*: *CLAVES DEMIT*: *exegit.*

Solitum denique fuisse, ut a maritis ad quandam celebritatis speciem nuces spargerentur, vulgo veteres enuntiant.

CAPVT IX.

De Aedibus Privatis.

CVm de variis Romanae urbis aedificiis sive publicis, sive sacris, ubi forte occasio tulit, disseruerimus; animo tandem sedit, aliquid et de privatis Aedibus enuntiare. Qua in re eam nos rationem sectabimur, ut non modo earum partes perlustrentur, verum nonnulla etiam alia ad ipsas spectantia cognoscantur, quae ampliori usui esse possint.

§. I.

De Vestibulo et Atrio.

Vt privatas aedes ordine pervadamus, a VESTIBVLO et ATRIO exordimur: etenim illud quidem domum accedentibus, hoc vero ingressis primum occurrebat.

I. VESTIBVLVM ante aedes fuisse, in dubium revocari nequit. In rem est illud Plauti Mostell. III. 2.

Viden' Vestibulum ante aedes?

Itaque de eo sic legitur apud Gellium XVI. 5. *Caecilius Gallus Vestibulum esse dicit, non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad aedes est . . . . . Qui domos amplas antiquitus faciebant, locum ante vacuum relinquebant, qui inter fores domus, et viam medius esset. In eo loco, qui dominum eius domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant.* Nil certe his verbis clarius ad rem omnem explicandam fieri potuit.

II. ATRIVM porro pars fuit domus media, intecta, columnis et porticibus circumsepta. Vbi tu illud, quaeso, quod non plane cunctis observatum est, animadverte, tum aream subdialem, tum porticus circa positas, uno omnes simul fuisse *Atrii* nomine comprehensas. Quod mirifice indicant Festi dicta: *Atrium est genus aedificii continens mediam aream.*

Atque in his quidem Atrii porticibus imagines maiorum (de quibus actum est Part. I.

p. 84.) collocare mos fuit. De hoc instituto sententia illa est Iuvenalis Sat. VIII.

Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

Maximo etiam ornamento esse Atriis solebant hostium spolia, ad perpetuam partae gloriae recordationem, et ad alienae virtutis incitamentum affixa. Hinc de Regulo celebrantur a Silio VI.

Affixi clypei, currusque, et spicula nota
Aedibus in parvis, magni monumenta triumphi.

Adde huc et illud Tibulli I. 1.

Te bellare decet terra, Messala, marique,
Vt domus hostiles praeferat exuvias.

Cui consuetudini adiectum id quoque fuit, ut fixa semel spolia revelli non amplius fas esset; ea fortasse de causa, quod Diis penatibus sacrata haberentur. Itaque non raro, alienata domo, in alterius illa potestatem veniebant. Quare scripsit Plinius XXXV. 2. *Aliae foris, et circa limina domitarum gentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quae nec emptori refigere liceret: triumphabantque, etiam dominis mutatis, ipsae domus: et erat haec stimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Vnde in Antonium, Pompeianae domus potitum, exstitit Tullianum illud dicterium II. Philipp. 28. *An tu illa in vestibulo rostra, spolia cum aspexisti, domum tuam te introire putas?*

§. II.

De Interiore Domo.

Postquàm a vetere frugalitate ad magnificentiae luxusque studium conversi sunt Romanorum animi, iam non humiles, ut ante, casas, sed ingentes splendidasque domos placuit habitare. Quae, crescente in dies fastu, eo tandem amplitudinis adductae sunt, ut eas, *aedificia laxitatem magnarum urbium vincentia*, dixerit Seneca de Benef. VII. 19.

Plurimae igitur in iis pro ratione magnitudinis fuere partes; plurima etiam respondentia magnitudini ornamenta. Nos haec postrema secuturis §§. inspecturi, heic illarum partes proponemus; at eas tantum, quibus a diverso ipsarum usu diversae appellationes adhaeserunt; modo etiam dignum scitu aliquid exhibeant. Sunt vero ipsae, CVBICVLA, DIAETAE, PINACOTHECA, TABLINVM, OECVS, COENACVLVM, CONCLAVE, LABARIVM, CELLAE, quas tamen non omnes in omnibus aedibus exstitisse, necesse nobis non est, re se ipsam prodente, ut moneamus.

I. CVBICVLA, communi sensu accepta, eadem fuere, quae apud nos generaliter *le Stanze*. Sed, ubi ad strictiorem notionem deveneris, erant illa quidem aedium loca, ad dormiendum parata, *Stanze da letto*: ut propterea cognominari *dormitoria* solerent. Qua etiam ratione dicitur a Plinio. II. Epist 17. *Cubiculum noctis, et somni.* Atque hinc lecti somno destinati, *cubiculares* appellati sunt; quo a tricliniaribus, coenae mancipatis, distinguerentur.

II. De DIAETARVM ratione, et usu varie sen-

sum est ab eruditis. Designata namque hoc nomine credidere quidam loca ad rem balneariam spectantia, quippe quod *Diaetae hypocaustae* memorentur ab Vlpiano. (l. 55. §. *lignis* D. de leg. 3.) Alii eadem voce significatam coenationem rati sunt; adducti Sidonii verbis II Epist. 2. *Ex hoc triclinio fit in Diaetam sive in coenatiunculam transitus.*

Postremo Mazochius Comment. in Kal. Neap. p. 107. postquam enuntiavit, sibi aliquando Diaetam fuisse pro ea aedium parte, quam Itali *Alcovam* vocant; denique eo venit, ut unice opinetur, per id vocabuli ea domorum loca fuisse a veteribus indicata, quae ita majoribus cubiculis essent annexa, ut veluti seorsum posita, atque ab itu reditque libera, remotum ad meditandum lectitandumque darent receptum: qualia Italice dicuntur *Gabinetti*, *Ritiri*. Atque huc porro refert doctissimus auctor duo Plinii loca. Quorum alter II. Epist. 17. sic habet: *Diaeta perquam eleganter RECEDIT: quae specularibus et velis obductis reductisque, modo ADIICITVR CVBICVLO, modo AVFERTVR. Lectum et duas cathedras capit.* Alter vero locus est V. Epist. 6. *Mox Diaetula REFVGIT:* tum postea: *In hanc ego Diaetam cum me recipio, nec illi studiis meis obstrepunt.* Vide tu, quaeso. quam bene haec omnia Mazochianae sententiae conveniant (46).

(46) De alienis, quas proposuimus sententiis, audi paucis quid Noster sententiat. Ad earum quidem alteram: *Non quia*, inquit, *Zetae* (eadem ac Diaetae) *aliquae hypocaustae erant, continuo universum Zetarum genus ad thermas est amandandum.* Quod vero ad alteram spectat, concedit ille, Diaetam nonnunquam coenatiunculae usum praebuisse, et eandem plane, ac coenationem fuisse negat.

III. PINACOTHECA (idest πινάκων θήκη *Tabularum repositorium*) constituta ad id erat, ut pictis tabulis exornaretur. Quare Plinius XXXV. 2. *Pinacothecas*, inquit, *veteribus tabulis consuunt*. Galli eam dicerent, *Sale de tableaux;* Itali ferme, *Galleria*. Amplam vero admodum fuisse ostendunt verba Vitruvii V. 5. *Pinacothecae . . . amplis magnitudinibus sunt constituendae.*

IV. TABLINVM, privatum tabularium fuit, ea de causa conditum, quam profert Plinius ibid. cum inquit: *Tablina codicibus implebantur, et monumentis rerum in magistratu gestarum.*

V. OECVS, pars aedium magnificis agendis conviviis accommodata. De hoc genere accipe Vitruvii dicta VI. 10. *Ad meridiem spectantes Oecos quadratos, tam ampla magnitudine, ut faciliter in eis, tricliniis quatuor stratis, ministrationum, ludorumque operis locus possit esse spatiosus.* Certe ad haec universa praestanda sane quam vastus fuerit Oecus oportuit. A qua ipsa re fortasse fuit, ut Greca vox οἶκος *domus* nomen ei tribuerit.

VI. De COENACVLO nihil habemus addere ad ea, quae satis fuse dicta ante sunt p. 44 quem propterea locum tota hac de re adire poteris.

VII. Quaecunque etiam LARARIVM seu SACRARIVM spectant, declarata se tibi offerunt p. 106.

VIII. CONCLAVE, seu CONCLAVIVM (cum utroque modo efferatur) locus aedium erat, clavi, quae domesticis communis esset, occlusus: id quod vult illa Festi sententia: *Conclavia dicuntur, quae una clave clauduntur* Ob quod ipsum res eadem ratione conclusae vocantur apud eundem *conclavatae*.

Quod vero ad usum attinuit, pars aedium secretior Conclave fuit, quo unis familiaribus da-

retur aditus. Huc spectant Donati verba in Eun. III. 5. *Conclave est separatior locus in interioribus tectis.*

Ceterum pro coenaculo nonnunquam id vocabulum acceptum esse, patet ex ea Tullii narratione II. de Orat. 86. *Hoc interim spatio Conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse.* Is namque locus procul dubio coenaculum fuit: unde est, ut et a Quintiliano XI 2. et a Valerio Max. I 8. 7. *Triclinium* appelletur.

IX. Cellae, asservandis rebus destinatae, variae fuerunt. Exstitit igitur *cella vinaria*, *olearia*, *penaria*. Atque ad hac postrema, ubi ad familiae victum idonea continebantur, ortum est, ut in provinciis *in praetoris Cellam imperari*, aut *dari* diceretur id frumentum, quod in ipsius, suorumque usum imperaretur, dareturve. (Cic. III. in Verr. 87.).

Erant praeterea Cellae servorum domicilio assignatae: de quibus sermo nobis erit Cap. sequenti, §. II.

A modo autem dictis longe aliae fuerunt Cellae ad balneum spectantes. Ex iis, pro diversa sui ratione, nuncupata una est *Cella caldaria*, altera *Cella frigidaria*, tertia *Tepidarium*; prout quaeque vel calidum, vel frigidum, vel tepidum aerem contineret. De duabus ita Vitruvius V. 10. *Caldaria, Tepidariaque lumen habeant ab occidente hiberno*. Vniversas vero simul conjunxit Plinius V. Epist. 6. ubi de villae suae partibus agens: *Frigidariae*, inquit, *Cellae annectitur Media* (i. e. Tepidarium), *cui sol benignissime praesto est; Caldariae magis; prominet enim.*

Ex eis memorabilior est *Cella caldaria*, ad eliciendum sudorem comparata, ac propterea

Sudatio quoque dicta (*la Stufa*). Haec ut calefieret, praestabat *Hypocaustum*. Erat id (quod et *Fornacem* vocat Palladius I. 40.) locus concameratus, Cellae suppositus, ubi ignis succendebatur, et unde calor per foramen superne seseratum in Cellam ipsam immittebatur. Rem non obscure prae se ferunt dicta Papinii I. Silv. 4.

. . . . *Languidus ignis inerrat*
Aedibus, et tenuem volvunt Hypocausta vaporem.

Postremo vocata ea Cella fuit etiam *Laconicum*, propterea quod Lacones potissimum, teste Dione p. 515. huiusmodi sudationibus uterentur. De eo scripsit Cicero IV. ad Att. 10. *Nostram ambulationem, et Laconicum, eaque quae Cyrea sint, velim, quod poteris, invisas* (47).

§. III.

De Parietibus.

Ad visendos Parietes accedimus. Vbi Tectorivm, Colores, Pictvras, Marmor, Abacos, Specvla dabitur contemplari.

---

(47) Quoties Cella caldaria *Laconicum* vocata est, per synecdochen id factum esse oportet dicere. Re namque Laconicum partem Sudationis fuisse constat a Vitruvio V. 11. ubi habetur: *E regione frigidarii collocetur concamerata Sudatio . . . quae habeat in versuris ex una parte Laconicum . . . ex adverso Laconici, caldam Lavationem.* Vides heic luculenter, in Sudatione, seu Cella caldaria fuisse, tanquam in toto partem, Laconicum. Id igitur proprie fuisse putatur turricula, sive exiguus tholus foramini illi impositus, unde vapor, ut supra diximus, e subiecto hypocausto sursum efferebatur.

I. Tectorii nomine tota crusta, atque inductio illa comprehenditur, qua rudes parietes convestiuntur. Itaque et *Arenatum*, et *Marmoratum*, et *Albarium* vox una designat: ut propterea quodvis ex his operibus qui faceret, *Tector* appellaretur.

1. *Arenatum* (*l' Intonaco*) ex arena et calce exstitit. Ter muro inducebatur: etenim primo iniecto corio, ubi id inaresceret, alterum apponebatur: tum eadem ratione alteri tertium.

Marmoratum (*lo Stucco*) tuso marmore, et calce constabat. Non secus autem, ac de arenato dictum, tres marmorati crustae parietibus inducebantur; atque eo quidem pacto, ut prior e crassiore, altera e subtiliore, tertia e tenuissima scobe foret.

Singula vero sive arenati, seu marmorati coria *liaculorum* ministerio subigebantur. Dicta *liacula* sunt ἀπὸ τοῦ λειαίνειν *a levigando*, instrumenta adcomplanandum levigandumque comparata. Per horum igitur fricationem ea compactio tectorio conciliabatur, ut nec ageret unquam rimas, nec aliud ullum vitium faceret. Sed vero etiam tanta inde levitas, tantusque nitor exsistebat, ut intuentibus imagines redderentur. (Vitruv. VII. 3.).

3. *Albarium* mera calx erat, qua parietes dealbabantur. De hoc autem vocabulo advertere par est, fuisse ipsum nonnunquam marmorato designando accommodatum. Hac plane notione occurrit in his Vitruvii verbis V. 2. *Praecingendi sunt parietes medii coronis ex intestino opere, aut Albario*: cum enim ibi de confingendis coronis agatur, non aliud esse *albarium* potest, quam marmoratum.

II. Saepe porro tectorio Colores inducebantur: quibus vix dici potest. quantum prisca

gens illa delectaretur. Ac de horum ita, uti soleret, adiectorum perennitate Architectonices magister ibid. *Colores*, inquit, *udo tectorio* (i. e. *a fresco*) *cum diligenter sunt inducti*, *ideo non remittunt*, *sed sunt perpetuo permanentes*, *quod calx in fornicibus exacto liquore*, *et*, *facta raritatibus evanida ieiunitate*, *coacta corripit in se*, *quae forte eam contigerunt.*

III. Praeter hanc colorum inductionem, PICTVRAE quoque ad parietum ornamentum sunt usurpatae. Frequentes igitur in iis fuere diversarum vel rerum, vel personarum expressae imagines. Fuit vero cum, depravato animorum sensu, absona quaedam, et ab artis regulis penitus abhorrentia placuit appingere: cuiusmodi fuere calami, columnarum vice fungentes; candelabra, aediculas sustinentia; cauliculi, imposita sigilla habentes; atque id genus alia, quae summopere improbat Architectus VII. 5.

IV. MARMORE, etiam parieti decus addere curatum est. Vnde est illud Senecae Epist. 115. *Miramur parietes tenui marmore inductos.*

In hoc genere notandum cum primis est, ita contexi diversiculorum marmorum segmina consuevisse, ut inde simulacra aliqua effingerentur; *nec tantum parietes toti operirentur*, *verum et interraso marmore*, *vermiculatisque ad effigies rerum et animalium crustis*; uti ac de re loquitur Plinius XXXV. 1.

V. ABACOS, et SPECVLA simul iungimus, cum ad eandem ornamenti rationem pertinuerint: ambo nimirum e vitro, aut aliquo pellucido lapide, parietibus inseri solita. De utrisque Vitruvius VII. 3. *Ipsaque tectoria Abacorum*, *ac Speculorum divisionibus inter se prominentes habent expressiones.*

*

Forma tantum a se invicem discreparunt, cum Abaci quadrati essent, rotunda Specula. De prioribus dicta sunt Vopisci in Firm. 3. *Vitreis Quadraturis bitumine, aliisque medicamentis insertis domum induxisse perhibetur.* Ad posteriora vero attinet locus Senecae Epist. 86. *Pauper sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes magnis, et pretiosis refulserunt.*

§ IV.

De Pavimentis.

Quemadmodum parietibus, ita et PAVIMENTIS singulare elegantiae studium adhibuit antiquitas. Excogitata igitur ad horum ornatum fuere SECTILIA, TESSERAE, atque OPVS SPICATVM.

Illud autem heic ante cetera notare decet, inter *Sectilia*, et *Tesseras*, quae facile confundi solent, non minimum discriminis intercessisse. Patet hoc e verbis Vitruvii VII. 1. queis ita praecipitur: *Ad regulam et libellam exacta pavimenta struantur, sive Sectilibus, seu Tesseris.* Palam fit ex eo, quod dicitur Iulius apud Suetonium in vit. 46. *in expeditionibus Tessellata, et Sectilia pavimenta circumtulisse*; videlicet ipsas Tesseras, ac Sectilia, quibus novo luxu pavimenta in praetorio struerentur. At quid tandem inter ea interfuerit, id iam videbitur.

I. SECTILIA fuere marmoris crustae, queis pavimenta sternebantur; eaque et varii plerumque coloris, nec unius semper figurae. Plures simul exposuit Vitruvius VII. 1. cum scripsit;

Si Sectilia sint, *nulli gradus in Scutulis* (48), *aut Trigonis*, *aut Quadratis*, *aut Favis* (49) *exstent.*

II. Tesserae a tesserarum lusoriarum forma, nimirum cubica, quam ferme referrent, videntur fuisse nuncupatae. Lapilli certe erant, ad pavimenta minutatim, ac veluti ex musivi ratione, insternenda conformati: quae pavimenta propterea, sicut ab ipsis tesseris *tessellata*; ita et *vermiculata* audiverunt, eam nempe ob causam, quod ex tenui illo, multiplicique lapillorum intextu variae vermiculorum species exsistere viderentur. Ac vide heic per te, quam idonee sciteque Lucilius apud Tullium III. de Orat. 43. concinnam verborum compositionem tessellato comparaverit pavimento, cum inquit:

Quem lepide lexes compostae! ut tesserulae omnes
Arte pavimento atque emblemata vermiculato!

Adhaec (quoniam iam de nominibus agimus) dicta etiam eiusmodi pavimenta fuere *lithostrota*. Cuius vocabuli significatio, cum amplior per se esset, quandoquidem λιθόστρωτον est *lapide stratum*; ad unum tamen tessellatum denotandum,

---

(48) Scutulas rhombi figuram, magis quam aliam, credimus prae se tulisse. Censorinus in Fragm. 7. *Scutula*, inquit, *idest Rhombus*; *quod latera paria habet*, *nec angulos rectos*, *similes scutulae.* Iam vero *scutulam* hanc, unde indicat illi nomen per similitudinem traslatum, vas fuisse existima eiusmodi formae: qualis ferme apud Isidorum XX. 4. *Paropsis*, *quadrangulum*, *et quadrilaterum vas.*

(49) Quoniam favus natura duce componi in sex angulos a suis auctoribus suevit, *favum* pro hexagono scriptor adhibuit.

excellentiae ergo, contracta est: quod aperte patet a Plinio XXXVI. 26.

Iam illud in hoc pavimentorum genere plurimum artis erat, ita marmoreas crustulas contexere, ut imaginem quampiam repraesentarent; sicut in parietibus factum diximus. Huiuscemodi fuit opus, quod idem auctor ibid. a quodam Soso elaboratum narrat: *Qui*, inquit, *Pergami stravit, quem vocant Asaroton oecon, quoniam purgamenta coenae in pavimento, quaeque everri solent, veluti relicta, fecerat parvis e testulis, tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, et aquam umbra capitis infuscans. Apricantur aliae scabentes se se in canthari labro.*

III. Tertiam pavimentis straturam OPVS SPICATVM praebuit. Hoc in eo totum fuit, ut testae, seu lateres in spicae formam disponerentur; quod genus vocant Itali *a spinapesce*. Ita instructa pavimenta, *testacea spicata* vocantur a Vitruvio VII. 1. et a Plinio XXXVI. 26.

§. V.

De Tecto.

TECTVM, qua parte pavimentum spectabat, CAMERAS nobis exhibet, et LACVNARIA. Singula haec parumper aspiciamus.

I. CAMERA curvatum tectum erat. Quam vocem ne tu cum Servio et Nonio credas, esse a *camuro*, scilicet *curvo*; sed potius a Graeco *καμάρα testudinem* denotante; vel multo magis propinsque a Chaldaico קמר *Kamar cingere*. Atque haec habeto a Vossio.

Iam tectorium albariumque cameris inducere, vulgari a more fuit. Quod significavit Vitruvius

V. 10. ubi praecepit: *Opere albario, sive tectorio* (camera) *poliatur.*

At praecipuus earum ornatus exstitit tessellatum opus, non e lapillis illud quidem, quales structura pavimentorum habuit, sed e vitro. Rem ita declaravit Plinius XXXVI 25. *Pulsa deinde ex humo pavimenta* (lithostrota, de quibus illic agitur) *in Cameras transiere, e vitro.* De hoc ipso ornamenti genere loquitur Statius I. silv. 3. cum splendorem inde prodeuntem, pavimentaque illustrantem indicans inquit:

Dum vagor aspectu, visusque per omnia duco,
Calcabam nec opinus opes. Nam splendor ab alto
Defluus, et nitidum referentes aëra testae
Monstravere solum; varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superatque novis asarota figuris.

Quid vero? Picturatas diceres eas cameras: tam bene ibi ad quodlibet repraesentandum ars omnia componebat. Cuius exempli est, quod legitur apud Spartianum in Pescen. 6. *Hunc in commodianis hortis, in porticu curva* (i. e. in camera porticus) *pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus, sacra Isidis ferentem.*

II. Lacunar, seu laquear, contignatio fuit pro tecto adhibita (*la Soffitta*). In cuius sane nominis usu pars posita pro toto est. Nam proprie *Lacunar*, interstitium inter duas trabes vocatum fuit.

Fluxit a *lacu* vocabulum. Vnde est, ut Lucilius apud Servium ad I. Aeneid. 730. *lacum* ipsum pro lacunari usurpaverit:

. . . . *Resultant aedesque, Lacusque.*

Ac bene originatio habet. Cum enim ex Marocioh (Addit. ad Etym. Voss.) *lacus*, a לקח *lakah accipere* derivatus, sit *receptaculum*, *fovea*; recte cava illa contignationis pars, quae duabus trabibus intercludebatur, *Lacunar*, et *Laquear* dici potuit; praesertim etiam quod animalia illic insculpi solita (prout advertit Idem), velut in caveam inclusa viderentur.

Illini porro auro Lacunaria suevisse, compertissimum per scriptores est. Ita apud Virgilium I. Aeneid. 730.

. . . . *Dependent lychni Laquearibus aureis.*

Contra Flaccus II. Od. 18. ut suarum rerum tenuitatem indicaret, cecinit:

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo Lacunar.

Atque haec de inferiore tecti parte. De superiore autem, seu subdiali, nihil est, quod nos detineat. Quare universo hucusque ducto de privatis Aedibus sermoni finem imponimus.

CAPVT X.

De Servis.

CVm duplex servorum, publicorum privatorumque ordo Romae exstiterit, illorum quidem, qui reipublicae, horum vero, qui suis quisque dominis deservirent; nos de prioribus illis peculiare nihil huc afferemus. Etenim quidquid unice proprium eorum fuit, id iam paucis expedivimus Part. I. p. 193. et seq. Ea nunc igitur persequemur, quae ad servos privatos pertinuerunt. Inter quae est tamen aliquid, quod et publicis com-

mune fuerit; quod ipsum per se, ubi occurrerit, cognoscendum se prodet.

§. I.

De Variis Servorum Privatorum Ministeriis.

I. Nemo fere Romanorum civium fuit, qui, modo census suppeteret, non plures sibi e captivis servos coëmendos curaret. Nonnullis etiam tam ingens familia fuisse fertur, ut fidem penitus excedere videatur. E reliquis in id testimoniis satis fuerit hoc Plinianum XXXIII. 10. de Caecilio Claudio Isidoro, qui *testamento suo edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia centum sedecim.* Exercitum magis hunc, quam privati familiam dixeris.

II. Ceterum nullus e servorum numero ita otiosus erat, ut non aliquid ex eo commodi utilitatisque dominus perciperet. Varia enim erant ministeria, quorum aliis alii mancipabantur; in primis agrorum cultura, maximo quidem ea domino usui, uti sequenti §. innotescet. Ob ipsam autem diversorum munerum perfunctionem dicti multiplici nomine servi fuerunt, Actores, Anagnostae, Atrienses, Cellarii, Cubicularii, Dispensatores, Insularii, Lecticarii, Librarii, Notarii, Structores, Topiarii, Villici.

1. Actores erant, queis suprema rerum omnium domesticarum, rusticarumque cura concredebatur. Obtinuere ipsi inter cetera servilia principatum.

2. ANAGNOSTARVM officium fuit, lectionem coenae domini adhibere. Nepos in vit. Att. 13. tradit: *In ea* (familia) *erant pueri litteratissimi*, *Anagnostae optimi*. Et infra 14. *Nemo in convivio eius aliud acroama audivit*, *quam Anagnosten* . . . . *Neque unquam sine aliqua lectione apud eum coenatum est*. Iidem *Lectores* appellati.

3. ATRIENSIBVS tum atrii, tum eorum omnium, quae ibi asservarentur, custodia erat. Vnde est monitum illud Columellae XII. 3. *Insistere Atriensibus*, *ut supellectilem exponant*, *et ferramenta detersa nitidentur*, *atque rubigine liberentur*. Non ignobile nomen in servili grege gesserunt huiusmodi servi. Quare Cicero Parad. V. *In magna*, inquit, *familia servorum alii sunt lautiores*, *ut sibi videntur*, *servi Atrienses*.

4. CELLARII Cellas penarias administrabant. Quare Columella XI. 1. scripsit: *Non minor habenda erit ratio*, *ut cibus*, *et potio sine fraude a Cellario praebeatur*. Ipsos, quoniam condendarum promendarumque earum rerum curam gerebant, etiam *Condos promos* appellatos voluerunt.

5. Ad CVBICVLARIOS attinuit non modo dominorum cubicula tueri, sed etiam (quemadmodum admissionales (50) apud Principes) ad-

---

(50) In aula Imperatoris vocati sunt *Admissionales*, ministri, per quos aditus ad Principem dabatur iis, qui salutatum allocutumque venirent. Hinc Lampridius de singulari Alexandri Severi comitate refert in vit. 4. *Salutaretur*, *quasi unus de senatoribus*; *patente velo*, *Admissionalibus remotis*. Qui ipsi dicuntur a Suetonio in Vespas. 14. fuisse *ex officio admissionis*.

Atque heic per occasionem adverte, nuncupatos fuisse, *primae*, *aut secundae admissionis* amicos, qui primum vel

mittere eos, qui dominos adire vellent. Id prae se fert sermo Tullii VI. ad Att. 2. *Aditus autem ad me minime provinciales. Nihil per Cubicularium. Ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus.*

6. Dispensatores pecuniam universam tum exigendam, tum erogandam curabant. Itaque non alii fuere ab illis, qui *Actores summarum* vocati occurrunt.

7. Insvlariorvm porro id erat, ut domini insulas (aedes scilicet, ad (51) insularum instar a ceteris seiunctas) procurarent.

---

secundum familiaritatis locum apud Principem obtinebant. Huc respicit illud Senecae VI. de Benef. 33. *Non sunt isti amici, qui agmine magno pulsant ianuam; qui in primas et secundas admissiones digeruntur.*

(51) De *Insulis*, quo sensu heic accipiuntur, ita Festus: *Insulae dictae sunt proprie domus, quae non coniunguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico, aut privato cinguntur a similitudine videlicet earum terrarum quae fluminibus aut mari imminent, suntque in salo: a Graecis οἰκία περιάμφοδος.* Ex quo intelligis, *insulas* aeque potuisse dici divitum domos, et quae a pauperioribus incolerentur, modo utraeque ab aliis circa aedificiis seiunctae essent. Id iam res ipsa patefacit.

Non dubium tamen esse videtur, saepius hanc vocem fuisse ad eas aedes significandas accommodatam, quae a ceteris item secretae, tum vero in plures partes distributae, tenuioris conditionis sive hominibus, sive familiis locabantur. De his omnino intelligenda sunt verba Suetonii. Ner. 38. *Tunc praeter immensum numerum Insularum, domus priscorum ducum arserunt.* Vbi quidem Insulae, ignobilium domicilia, ab illustrium virorum domibus distinguuntur. Neque porro alia notione eam vocem usurpat Idem in Iul. 41. cum inquit: *Recensum populi . . . vicatim per dominos Insularum egit.* Nimirum cum vellet Caesar plebem frumentum accipientem numerare, facile id

8. Ad LECTICARIOS (servos portandis lecticis mancipatos) quidquid pertinuit, expensum satis est in de Vehiculis Part. I. p. 351. et seq.

9. LIBRARII in exscribendo locatam operam habebant. Eam ob rem legitur apud Tullium XVI. Fam. 21. *Peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Graecus: multum enim mihi eripitur operae in exscribendis hypomnematis.*

10. NOTARII excipiebant notis, quae cursim pronuntiata a domino mandari scriptis illico deberent. Huius generis servum iuxta habere consuevit inter coenandum Plinius, referente Plinio sororis filio III. Epist. 5.

11. STRVCTORVM partes fuere, mensam instruere, et fercula apte componere: ut propterea apud Graecos vocabulo valde idoneo *τραπεζοκόμοι mensarum exornatores* sint appellati. Sed vero eorum quoque fuit, cibos rite discindere, ac dispertire. Quo spectat hoc Martialis X. 48.

Et, quae non egeant ferro Structoris ofellae.

Verum hac de re, necnon de reliqui servorum huius generis nominibus dictum nonnihil est p. 52.

12. TOPIARII id agebant, ut praedia variis operibus ex arbore, frutice, herba elaboratis instruerent exornarentque. Tale est, quod legitur apud Tullium III. ad Q. Fratr. 2. *Topiarium lau-*

---

per *Insularum dominos* (quippe qui eas aedes non aliis, quam plebeis locarent) conficere se posse ratus est.

Ex his per se quisque assequi coniectura poterit, *Insuliarii* munus eo spectasse, ut quae ab inquilinis repraesentandae pensiones erant, per eum exigerentur.

davi: ita omnia convestit hedera, qua basim villae, qua intercolumnia ambulationis. Dicti illi videntur ἀπὸ τῶν τοπίων a *funiculis;* quorum ad id operis maximus erat usus.

13. Villicvs rei rusticae praeerat. Quapropter et ipse a Varrone I. R. R. 2. *agriculturae princeps* nuncupatur; et eius administratio *praefectura* a Columella XI. 1.

Habes iam plura servorum ministeria. Heic autem adverte, servos illos, qui ex his muniis digniora, et graviora obirent, cognominatos fuisse *columellas*, quippe qui crederentur esse quasi domus columina.

III. Contra vero qui vilissimis quibusque officiis domi fungebantur, eos *mediastinos* dici mos fuit; hac de causa, ut videtur, vel quod *mediis* in aedibus ad quaelibet imperia praesto essent, vel quod inter summos modo memoratos, et inferiores alios (de quibus sequenti §. dicetur) *mediae* veluti conditionis forent. Hoc nomine ita suorum unum compellat Flaccus I. Epist. 14.

Tu Mediastinus tacita prece rura petebas.

Fuere autem ex hoc genere Balneatores, Focarii, Fornacarii, Ostiarii, Scoparii.

1. Balneatoris munus in balneo accurando totum fuit.

2. Focarii, foci curam gerentes, caedendis lignis, alendoque igni operam dabant.

3. Fornacatores, fornaci (scilicet hypocausto) ad balnei usum succendendae attributi erant.

4. Ostiarivs ostium custodiebat. De hoc servo intelligenda esse verba illa Nepotis in Annib. 12. *PVER AB IANVA prospiciens*, credit Pignorius in de Servis. Non male. At haec tamen ita alii interpretantur, ut sit, *puer prospiciens ab ianua.*

Vide tu, quid magis arrideat. Illud pro certo habe, huius officii servum dictum prisco latinitatis aevo fuisse *Claustritumum*; quippe claustris praepositum. (Cell. XII. 10.).

5. Scopariorum deniqne fuit, quod vox statim indicat, everrere pavimenta.

§. II.

De Servorum domicilio.

Duo fuere domicilii genera Servis attributa, Cellae, et Ergastula.

I. Cellae erant, certa aedium cubicula, a Servis habitata. Has *Cellas familiae* appellat Cato 14. De iisdem loquitur Cicero II. Philipp. 27. cum inquit: *Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in Cellis stratos lectos videres.* Atque hae servorum frugi exstitere sedes.

II. Noxii vero Ergastulis continebantur. Rem omnem declarat Columella I. 6. per haec verba: *Optime solutis servis cellae meridiem aequinoctialem spectantes fient: vinctis quam saluberrimum subterraneum Ergastulum, plurimis, idque angustis, illustratum fenestris, atque a terra sic editis, ne manu contingi possint.* Intelligis iam hinc, quam terum domicilium id fuerit, et quam merito a vulgo hominum cum carcere comparatum. Ita apud Livium VII. 4 crimini datur. T. Manlio, *quod filium . . . in opus servile, prope in carcerem, atque in Ergastulum dederit.*

Illic igitur improbos servos conclusos fuisse constant, eosdemque soli rustico operi mancipatos. A qua re loco ipsi quaesitum nomen: est enim *ergastulum* ἀπὸ τοῦ ἐργάζεσθαι *ab operando* dictum.

Huius autem adeo despecti gregis homines non

modo vinculis constricti erant, quod patet e verbis Columellae modo allatis; sed etiam ad infamiam compuncti notis (52). Ex quo manavit illud Iuvenalis Sat. XIV.

Quem mire afficiunt INSCRIPTA ERGASTVLA.

---

(52) Noxiorum servorum vultui notas, manifesta improbitatis indicia, candenti ferro inurere sollemne fuit. Quod execratus Juvenalis XIV. inquit:

Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro.

Hinc servi ipsi ignominiae causa *inscripti* appellari consueverunt. Ita apud Martialem VIII. 74.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

Eadem ratione Plinius XVIII. 3. de arvis loquens, iam contra veterem consuetudinem in servorum curas traditis, ait: *Nunc eadem illa vincti pedes, damnatae manus, Inscriptique vultus exercent.*

Eiusmodi autem impressae notae vel mera quaedam signa fuerunt: vel literae, vocesque, per quas mancipii indoles, crimenque palam fieret: ex earum ferme genere, quas ad rei exemplum affert Lipsius II. Elect. 15. *Cave a fure: Cave a fugitivo.* Morem huiusmodi indicant non obscure verba Senecae IV. de Benef. 37. *Philippus ita exarsit, ut statim Pausaniae mandaret, ut improbissimo hospiti stigmata inscriberet, ingratum hospitem testantia. Dignus quidem fuit, cui non inscriberentur illae Literae, sed insculperentur.* Vbi cum de libero homine agatur, multo credibilius fuerit, id cum servis factitatum. Ac per hoc intelligas licet, quare servi ipsi a comicis *literati* per opprobrium dicti nonnunquam fuerint.

Certe (ut alterum altero confirmemus) calumniatorum fronti litera K, Kalumniae nota (cum ita hoc vocabulum olim scriberetur) inuri solebat. Huc pertinet locus ille Tullii pro Rosc. Amer. 20. *Si ego hos bene novi,* LITERAM *illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam eos omnes oderitis, vehementer* AD CAPVT AFFIGENT. Quod cum ita sit, mirum non est, mancipiorum fronti, ac vultui non una modo litera, sed et plures pluresque etiam voces in admissorum criminum poe-

Iam singulis ergastulis, quae quindenis plerumque mancipiis assignata fuisse dicitur, unus praeerat, vocatus *Ergastularius.*

§. III.

De Servorum Suppliciis.

Multiplex exstitit suppliciorum genus, quibus in servitiorum flagitia animadvertere mos fuit. Nam praeter ea paullo ante prolata, quae ad ergastula spectaverunt, etiam FLAGRA, seu FLAGELLA, PISTRINVM, METALLA, CRVRIFRAGIVM, CRVX ad vindicandas serviles noxas parata erant.

I. FLAGRA, sive FLAGELLA virgae fuere loris

---

nam inscriberentur. Atque ex hoc inhumano more inhumanissimum suum illud consilium traxisse videtur Theophilus imperator: qui (referente Zonara III.) cum duobus monachis, quod eum liberius monuissent, ita egit, ut eorum facies compunxerit, notisque illis duodenos, non minus, iambicos versus infuso atramento expresserit.

Habes iam, quae ad serviles notas pertineant. Accipe nunc paucis (non inutile quidem cognitu, licet aliquanto a proposito alienius) aliud notarum genus, militum proprium. Invectum hoc fuit Principum aetate; de quo loquitur Vegetius I. 8. cum inquit: *Non statim punctis signorum scribendus est tiro.* Et II. 5. *Victuris in cute punctis militis scripti iurare solent.* Adde huc etiam verba Arcadii, et Honorii l. 3. C. de Fabric. *Stigmata, hoc est notae publicae, fabricensium brachiis, ad imitationem tironum, infligantur, ut hoc saltem modo possint latitantes agnosci.* Vide et illud nosse datur, quae demum fuerit huiusmodi notarum militibus infligendarum caussa, scilicet ut facile per eas dignoscerentur.

obarmatae. Quibus cum unice servi essent obnoxii, ideirco Tullius pro C. Rabirio perduellionem 4. ut Labienum tribunum plebis minime popularem argueret: *Porcia lex*, inquit, *virgas ab omnium Romanorum civium corpore amovit; hic misericors Flagella retulit.* Atque huius quidem supplicii causa servi ipsi dicuntur apud Nonium *l. flagriones*; nec non a Plauto Pseud. I. 2. *flagritribae*.

II. Perfrequens etiam fuit, ut nequiora mancipia in PISTRINVM ad molendum (53) detruderentur. Hanc propterea poenam, non secus ac reliquas, sepe domini famulis, quos officio decedentes viderent, comminabantur. Ita apud Terentium Andr. I. 2.

> *Verberibus caesum in Pistrinum te, Dave, dedam.*

---

(53) *Pistrinum* locus fuit ubi ante inventas molas frumentum *pinsebatur*: a re ipsa sic ille appellatus.

Ad pinsendum autem usui fuere *pilae* seu mortaria, et *pistilla*. De hoc genere Servius ad I. Aeneid. 182. *Apud maiores nostros*, inquit, *molarum usus non erat: frumento torrebant, et ea in pilas missa pinsebant: et hoc erat genus molendi: unde et pinsores dicti sunt, qui nunc pistores dicuntur.*

In pilarum postea locum venere molae: eaeque primo trusatiles, quae nimirum manibus trudebantur. Harum mentio est apud Gellium III. 3. *Ob quaerendum victum, ad circumagendas molas, quae trusatiles appellantur, operam pistori locasset.*

His porro molis successerunt illae, quae cum per asinum versarentur, *versatiles*, atque *asinariae* vocatae sunt: sed vero etiam, a sua magnitudine, *machinariae*.

Atque ad hoc quidem circumvertendarum molarum opus servi in pistrinum dediti damnabantur. Non leve sane supplicium.

III. Neque porro rarum erat supplicium, quo servi ad METALLA damnabantur. Heic autem dignum notari est, graviore conditione fuisse, qui *in metallum*, quam qui *in metalli opus* damnati forent: siquidem illorum erat metalla effodere, quod sine summo labore, vitaeque discrimine fieri non poterat; sed horum, effossa iam illa exportare, excoquere, et vario modo curare. Vlpian. D. XLVIII. 19. §. 6.

IV. CRVRIFRAGIVM, poena memoratis adhuc non paullo acerbior, id ferebat, ut damnato crura confrigerentur. De hoc genere verba sunt Suetonii in Aug. 67. *Thallo a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura effregit.* Et Seneca III. de Ira 32. *Quid properamus servulum infelicem verberare statim, crura protinus frangere?*

V. Extremum, maximeque formidabile inter servorum supplicia CRVX fuit: quod propterea merito ac iure Cicero V. Verr. 64. *crudelissimum teterrimumque* appellavit; Iurisconsulti vero *supplicium summum.*

Huic, cum irrogandum esset, praeivit plerumque *Flagellatio.* Ita apud Livium XXXIV. 26. *Multi occisi, multi capti, alii verberati crucibus affixi.* Quod et passim alibi occurrit. Fieri autem eiusmodi verberatio vel domi, vel per viam solebat. Ex hoc postremo genere est, quod ab eodem historico II. 36. narratur: *Servum quidam pater familiae, nondum commisso spectaculo, sub furca caesum medio egerat circo.* Quod ipsum referens Cicero I. de Divin. 26. *Servus*, inquit, *per circum, cum virgis caederetur, furcam ferens ductus est.*

De furca, cuius fit mentio his Livii Tulliique locis, fac sic teneas. Erat illa stipes, in duo ad

extremum brachia excurrens, instar literae Y: inter quae brachia reus inserto collo, et alligatis ad ea manibus, furcam ipsam dorso impositam gerebat. Vnde fuit, ut non raro servi ad contumeliam *furciferi* vocarentur. Eadem *patibuli* nomine donata est; quod e Plautino loco Mostell. I. 1. satis patet; ubi, cum de servo dicatur fore, ut furcam gerens stimulis (quorum ad id etiam usus fuit) identidem compungatur, sic sermo effertur:

.... *Te forabunt PATIBVLATVM per vias Stimulis.*

Verum non semper furcam, sed nonnunquam crucem ipsam, cui affigendus esset, gestavit reus. De hac consuetudine verba Artemidori sunt II. 41. *Similis est crux morti; et qui in ea figendus, prius eam portat.* Ita plane cum Salvatore nostro actum, ignorat nemo.

Iam nihil de cruce aliud addendum superest, nisi modo illud, suevisse huic supplicio, sicut et aliis (54), *Titulum* adhiberi, tabellam scilicet, quae conscriptum crimen palam faceret. Hoc pacto apud Dionem p. 532. iussit dominus servum

---

(54) Quod titulus aliorum etiam suppliciorum comes fuerit, documento sit e reliqui illud Suetonii in Domit. 10. *Patrem familias detractum e spectaculis in arenam canibus obiecit cum hoc Titulo: Impie locutus parmularius*: videlicet quod ille in gladiatoriis ludis esse Threcem Mirmilloni parem dixisset.

Heic autem adverte, nonnunquam tituli vice functam esse praeconis vocem. Ita apud Lampridium 36 Alexander Severus Turinum quendam, inanium pollicitationum venditorem *ad stipitem ligari praecepit, et fumo apposito, quem ex stipulis, atque humidis lignis fieri iusserat, necavit, praecone dicente: Fumo punitur, qui vendidit fumum.*

in crucem agi *μετὰ γραμμάτων, τὴν αἰτίαν τὴν θανατώσεως δηλοῦντων*, *cum liters* (i. e. Titulo) *causam mortis manifestantibus.* De Titulo cruci Domini affixo certa res est per Evangelistas.

§. IV.

De Manumissione Servorum.

Servos *manumittere* (videlicet e potestate emittere, atque in libertatem restituere) frequens Romanis fuit. Id autem pluribus fiebat modis, *Censu, Vindicta, Testamento*; aliisque minus sollemnibus, de quibus postremo aliquid aspergemus.

I. *Censu* manumitti servus dicebatur, cum eius nomen volente domino in tabulas census referretur. Explicat rem Boëthius in Top. 1. his dictis: *Consebantur antiquitus soli cives Romani. Si quis ergo, consentiente, vel iubente domino, nomen detulisset in censum, civis Romanus fiebat, et servitutis vinculo solvebatur.*

II. *Vindicta* vero manumittebatur, qui apud magistratum, videlicet consulem, praetoremve, libertate per certos quosdam ritus donaretur. Ritus ipsi fuere, qui sequuntur. Primum omnium dominus manu preheusam servum circumagebat. Vnde est illud Persii Sat V.

. . . . *Vna Quiritem*
Vertigo facit.

Cumque in gyrum ageret illum herus, simul ei alapam infligebat. Ita demum circumductum, percussumque emittebat manu, his additis verbis: *Hunc hominem liberum esse volo.* Tum praeter *vindictam* (virgulam hoc nomine) manumissi capiti imponendo edicebat: *Aio te liberum esse more Quiritium.* Hac ipsa postremo vindicta lictor a praetore accepta pluries illius caput pulsabat. Hinc Iuvenalis V. ait :

. . . . *Pulsandum vertice raso*
Praebebis quandoque caput.

Quoniam igitur per vindictam (quae etiam *festuca* dicta) libertas dabatur, idcirco apud Persium V. servus manumissus inquit:

Vindicta postquam meus a praetore recessi.
Et Cicero pro Rabir. 5. *Servos nostros . . . dominorum benignitas una Vindicta liberabit.*

De huius porro origine, et nomenclatura haec affert Livius II. 5. *Ille* (servus, qui initam de reducendo Tarquinio coniurationem detexerat) *primum dicitur Vindicta liberatus. Quidam quoque Vindictae nomen ab illo tractum putant: Vindici ipsi nomen fuisse.* Verum, quod ad etymon attinet, quidni potius a *vindicando* sumptam vocem credamus? Nihil certe proprius fuit.

III. *Testamento* quoque libertatem consequi solebant servi, ex lege XII. Tabularum, quam in haec verba profert Auctor ad Herenn. I. 13. *Paterfamilias uti super Familia, pecuniave sua legaverit, ita ius esto.* Vbi tamen adverte, dupliei id ratione fieri consuevisse. Vel enim ipse per se dominus, queis vellet, servis libertatem largiebatur, aliqua huius generis usus formula: *Stichus servus meus liber esto;* vel heredi mandabat, ut eos in libertatem vindicaret. Ex quo discrimine factum, ut alteri quidem *liberti orcini* nuncuparentur, quippe qui patronum suum in orco haberent; non item alteri, qui cum libertatem heredis fidei commissam ab ipso acciperent, eidem iura omnia patronatus (55) debebant.

---

(55) Non exigua fuere iura, quibus in libertos patroni fruebantur. Debebat enim libertus patronum suum non mo-

IV. Alii praeterea fuere modi, quibus manumitti servus posset, nimirum *per epistolam*, *inter amicos*, *per mensam*.

1. Ac primo si servo alibi commoranti scripsisset dominus, se velle eum liberum esse, servitute eximebatur. Quae tamen manumissio ita posterioribus aetatibus ex Iustiniani praescripto firmari debuit, ut literis a domino missis quinque testium auctoritas accederet. (l. unic. §. 1. C. de Lat. lib. toll.).

2. Adhaec poterat quis servum suum coram amicis libertate donare. Quod porro ut rite praestaretur, quinque etiam testes adesse iussit idem Iustinianus. (l. unic. C. de Lat. lib. toll.).

3. Denique admissus a domino ad mensam servus, liber fiebat; modo significaret dominus, se eum manumittendi gratia ad convivium adhibere.

---

do obsequio prosequi, et opera iuvare, verum etiam si quando is inopia conflictaretur, suis opibus, tanquam patrem filius, sustentare. Quae profecto officia qui libertus, cum posset, praestare renuisset, ingrati notam subibat. (l. 19. D. de iur. patron.) Proposita autem poena libertis ingratis erat, ut servi iterum fierent. Ita Claudius apud Suet. 25. *Ingratos, et de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem.*

Adhaec in libertorum hereditates succedere, patroni tanquam agnati, ius erat. De quo haec exstitit lex XII. Tabb. SI LIBERTVS INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AST PATRONVS, PATRONIVE LIBERI ESCINT, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM PROXIMO PECVNIA DVITOR.

Ex his vero emolumentis, quae a libertis exspectare licebat, factum illud est, ut liberti ipsi veluti pars census haberentur; atque a patrono, non secus ac alia bona, assignari filiis possent. (l. 7. D. de assign. lib.).

(Theophilus §. 4. Instit. de Libert.) Atque eiusmodi sane coenam, per quam servus in libertatem assereretur, illam fuisse nonnulli existimant, quam veteres *liberam* cognominaverunt. Verum quid sentiendum magis de hac re sit, videbis infra (56).

CAPVT XI.

De Coloniis, Municipiis, Praefecturis, Atque Provinciis.

AD urbes regionesque accedimus, quae vel originis genere, vel iuris communione, vel denique ditionis vinculo ad Romanam rempubli-

---

(56) *Coenae liberae* nomine significata illa credi multo potius debet, quae iis, qui ad ludos, bestiasve damnati essent, apponi in publico solebat: sic nuncupata, sive quod rebus iis omnibus, quaecumque illi voluissent, ornaretur, sive quod per maximam libertatem perageretur. Fit de ea mentio in Actis SS. Perpetuae, et Felicitatis in haec verba: *Pridie quoque cum illa coena, quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, non coenam liberam, sed agapen coenarent, eadem constantia ad populum verba ista iactabant.* Quae sane dicta non minimum videntur ad rem quadrare. Id porro ipsum clarius aperit Tertulliani sermo in Apologetico 42. quo dicitur: *Non in publico Liberalibus discumbo: quod bestiariis supremam coenantibus mos est.*

eam attinuerunt. Hae vero sunt COLONIAE, MVNICIPIA, PRAEFECTVRAE, atque PROVINCIAE. De quibus iam, quicquid ignorari dignum non sit, in medium dabimus.

§. I.

De Coloniis.

I. COLONIARVM rationem paucis patefacit Gellius XVI. 13. cum eas ait *fuis e civitates ex civitate Romana quodammodo propagatas*. Etenim erat sane Colonia, Romani populi pars ad aliquod incolendum oppidum missa. Oppidum autem ipsum, quod etiam *Colonia* dictum, vel fuit armis captum, vel omnino ad eum usum a fundamentis erectum.

II. Iam Coloniarum deductiones (quarum primam originem ipsi Romulo tribuit Dionysius p. 88.) quam utiles reipublicae exstiterint, haud facile dictu est. Per illas enim primum eo onere urbs levabatur, quo ob auctam multitudinem iam nimium gravari videretur: deinde eiusdem urbis sentina plerumque exhauriebatur, cum ita ferme fieret, ut egentior infestiorque plebs in colonias deduceretur: adhaec facultas erat, emeritis militibus sedes agrosque, merita laborum praemia, impartiendi. Non raro denique coloniae certis in locis positae, firma quaedam imperii erant adversus hostiles impetus propugnacula. Quae omnes fuerunt sane quam idoneae deducendarum Coloniarum causae.

III. Ad harum autem deductionem decernendam senatus consulto, vel plebiscito opus erat.

Quo facto, inde a consulibus Triumviri deducendae coloniae dabantur. Exhibet utrumque locus Livii VIII. 16. *De Colonia deducenda Cales* (consules) *retulerunt: factoque senatus consulto, ut duo millia quingenti homines eo scriberentur, Triumviros Coloniae deducendae; agroque dividundo creaverunt Caesonem Duilium, T. Quintium, M. Fabium.* Ita passim mos tenuit.

Dati porro Triumviri novos colonos sub vexillo in modum militaris manus praestituta die deducebant. (Appian. Bell. Civ. I.) Huc spectant dicta Tullii II. Agr. 32. *Tum illud Vexillum Campanae Coloniae vehementer huic imperio timendum, Capuae a Decemviris inferetur.* Vbi vide, pro Triumviris *Decemviros* esse positos, nimirum quia Rullus legis auctor tot Coloniae suae Capuam deducendae attributos volebat.

IV. Postquam ventum ad destinatum locum fuerat, idem illi coloniae curatores, si quidem oppidum condendum esset, aratro prius moenia designabant. Vnde est, ut Varro L. L. IV. scripserit: *Oppida quae prius erant circumdata aratro, ab orbe, et urbo, urbes. Et ideo Coloniae nostrae omnes in literis antiquis scribuntur urbes, quod item conditae, ut Roma.* Nec vero solum coloniae muri, sed agri etiam aratro definiebantur. Hinc Cicero II. Philipp. 40. Antonium obiurgans, quod, cum Coloniae ab eo Casilinum deductae agros terminaret, fines iusto longius protulisset, sic ait: *Coloniam Casilinum deduxisti, ut vexillum tolleres, et ARATRVM CIRCVMDVCERES: cuius quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis Coloniae* (Capuam lege Iulia deductae) *territorium minueretur.*

Deinde, data colonis sede, agri viritim distribuebantur, cuius sollemnis distributionis hoc habeto exemplum a Livio IV. 47. *Censuit* (senatus) *frequens Coloniam Lavicos deducendam. Coloni ab urbe mille et quingenti missi bina iugera acceperunt.*

Heic autem iuverit animadvertere, totum ipsum colonicum territorium fuisse voce agraria *Perticam* nuncupatum; quippe quod huiusmodi agris metiendis pertica, sive regula adhiberetur. Quare Propertius I. 130 cecinit:

Abstulit excultas Pertica tristis opes.

Atque ad locum Maronis IX. Ecl. 7. ubi de agrorum assignatione per Octavianum militibus facta agitur, ita Servius adnotavit: *Vsque ad eum locum Perticam militarem Octavius Musca perrexerat, limitator ab Augusto datus: idest per quindecim millia passuum agri Mantuani, cum Cremonensis non sufficeret.*

V. Res coloniarum publicae ita ordinari solebant, ut expressam quandam Romanae reipublicae imaginem repraesentarent: ut propterea Gellius XVI. 13. *maiestatis populi Romani effigies parvas, et simulacra*, Colonias appellet. Etenim praeterquam quod ex animadversione Lipsii (I. de Magnit. Rom. 6.) Fora, Capitolia, Curiae, Templa ad urbis principis formam erant in illarum oppidis constituta; tum vero, quod ad politicam rationem attinuit, nihil prope eae fuerunt Romae dissimiles. Quid enim? Tum ipsis Romanis legibus utebantur; tum suos et patres, et magistratus, haud multo secius, quam Romana civitas, habebant.

Erat igitur Coloniis supremum patrum consilium; nisi quod hi (quamquam aliquando et ipsi *Senatorum* nomine donati occurrunt) plerumque

Decvriones dicebantur. Quare Cicero II. Agr. 35. cum de Coloniale deductione ageret, quam Rullus moliebatur, inquit: *Huc isti decemviri cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum Decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint*, etc. Vbi hoc praeterea observa, non defuisse Coloniis Augures, nec Pontifices; ita ut passim illic Romanae rei species se se proderet.

Consulare munus gerebant in Coloniis Dvvmviri. Itaque his, praeter alia, iuris etiam dicundi, uti olim Romae consulibus, potestas erat. Quam ob rem ita in monumentis designari soliti sunt II. Vir. I. D. scilicet *Duumvir iuri dicundo.* Eos autem e Decurionum ordine legi, statutum erat. De hoc L. honores §. is' qui D. de decret. in haec verba edicitur: *Is qui non sit Decurio, Duumviratu, vel aliis honoribus fungi non potest.* Quorum insigne fuit, aeque ac Romanorum consulum, *Toga praetexta:* (Liv. XXXIV. 7.) ministri vero, *Lictores duo cum bacillis.* Quibus bacillis cum iam maius aliquid affectassent Duumviri Campani, ita in eos invectus est Cicero II. Agr. 34. *Anteibant lictores, non cum bacillis, sed, ut heic praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus.*

De Censoribvs coloniarum comperta quoque res est. Ita apud Livium XXIX. 15. decrevere Romae patres, *censum in iis coloniis agi ex formula ab Romanis censoribus data . . . . deferrique Romam ab iuratis Censoribus coloniarum, prius quam magistratu abirent.* Ex quo intelligis, eodem colonicos Censores, quo Romanos, munere functos esse.


Iam porro habuisse quoque colonias suos et Aediles, et Qvaestores, alteros viis, aedi-

bus, annonae curandis attributos, alteros aerario praepositos, pro explorato habetur.

VI. Postquam ea, quae ad Colonias communiter spectabant, tradita fuere, quaedam nunc inter eas discrimina sunt expendenda. Primum igitur e Coloniis aliae erant *civiles*, aliae *militares*. Haec autem dissimilitudo non in eo fuit, quod in has, non vero in illas, emeriti milites mitterentur; nam hoc quidem commune utrisque fuit: sed quod *militares*, secus ac *civiles*, vi et armis deducerentur. Huiuscemodi Coloniarum ratio satis aperta proditur verbis Bruti milites alloquentis apud Appianum Bel. Civ. XI. *Vos pro rebus gestis adversus Gallos, et Britannos praemia, quae olim dabat populus, referetis; qui nec suis, nec innocentibus hominibus agros adimebat, neque illis aliena donabat, neque iniuria facienda gratiam referri oportere putabat...* *Sylla vero, et Caesar, quod, patria armis occupata, custodibus, et satellitibus adversus eam agerent . . . . Italiae innoxiae, LEGE BELLI, agros, villas, sepulcra, et fama extorserunt . . . . agros sociorum Latini nominis diviserunt, et vos in eos frequentes SVB SIGNIS ET ORDINIBVS deduxerunt.*

VII. Longe vero majus exstitit illud inter Colonias discrimen, quo ob diversa earundem iura, vel *Romanae*, vel *Latinae*, vel *Italicae* appellatae sunt.

1. Optima quidem omnium conditione erant Romanae. Hae namque Romanam civitatem retinebant. Quare huius generis Coloni non semel *Cives Romani* in priscis monumentis nuncupantur. Ita apud Livium VI. 21. postquam urbem Velitras e coloniis unam fuisse indicatum est, tum subditur, quid patres de *Veliternis CIVI-*


TIC
eps
am Victimis

BVS SVIS ob eorumdem defectionem decreverint. Nec dispari ratione idem historicus VII. 14. sic narrat; *In Veliternos, veteres CIVES ROMANOS, quod toties rebellassent, graviter saevitum.*

2. *Latinae* vero, quippe quae in Latinorum statum redigerentur, civitatis omnino expertes fiebant. Declarat id Tullius pro A. Caec. 33. cum inquit: *Certe quaeri hoc solere me non praeterit .... quemadmodum, si civitas adimi non possit, in Colonias Latinas saepe nostri cives profecti sint. Aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.* Qua de causa tales coloni mediam capitis diminutionem patiebantur, pro eo ac dictum a nobis supra est adnotatione 45.

Verum ubi lege Iulia populis Latinis impertita civitas fuit, tum et Latinae Coloniae ad civitatis iura admissae sunt.

3. Italicae demum coloniae Latinis deteriores exstiterunt; si quidem ius Italicum, quo illae fruebantur, erat prae iure Latii abiectius: de quorum dissimilitudine vide sis adscripta ad imam oram (57). At vero cum lex Iulia, de

---

(57) Vt intelligatur, quid inter ius Latii, et ius Italicum interfuerit, observandum illud est, quam longius alterum prae altero a civium Romanorum iure discesserit. Quod ut recte fiat, necesse prius est ipsa Romanorum vium iura cognoscere.

I. Duplicis haec generis exstiterunt, privata, sive Quiritium; et publica, sive civitatis.

1. Privata erant iura *libertatis*, *gentilitatis*, *sacrorum privatorum*, *connubiorum*, *patrium*, *testamentorum*, *he-*

qua modo iniecta est mentio, totam denique Italiam civitate donavit, tunc et coloniae Italicae iura civium Romanorum adeptae sunt.

---

reditatum, mancipationis, cessionis in iure, emptionis sub corona, auctionis, usucaptionis.

Ius *libertatis* in eo maxime fuit, ut nemini invito adimi libertas posset, uti declarat Cicero pro Caec. 33. Quod si vendebantur ii, qui fieri milites, aut censeri refugissent (de qua re actum Part. I. p. 208), id quidem eo fiebat, quod illi ipsi sua se iam libertate privasse censerentur, prout edisserit idem Tullius ibid. 34. Adhaec vero Romanae *libertatis* fuit, ut civis tum magistratuum acerbitate per provocationem ad populum se vindicaret, ex lege Valeria, cuius meminit Livius II. 8. tum etiam a verberibus immunis esset, vi legis Porciae, de qua idem historicus X. 9. Vnde ortum est illud Tullii V. Verr: 63. *O nomen dulce libertatis! o ius eximium nostrae civitatis! o lex Porcia!*

Gentilitas vocata eorum coniunctio, et necessitudo fuit, qui ex eadem gente essent; quique propterea *gentiles* appellati sunt. Sed vero peculiari ratione nuncupari *gentiles* solebant illi, qui illustri genere forent: iique ipsi *gentem habere* (i. e. ingenuitate praestare) dicebantur. Quare de solis quondam patriciis hoc loquendi genus usurpatum est, quos nimirum maxime omnium ingenuos a plebe secreverat Romulus, prout relatum a nobis est Part. I. p. 38. et seq. Itaque Decius apud Livium X. 8 patricios alloquens: *Semper, inquit, ista audita sunt eadem: penes vos auspicia esse: VOS SOLOS GENTES HABERE.* Verum posthac de plebeiis quoque efferri coeptum est, ut et ipsi *gentiles* et *gentem habere* dicerentur, modo a parentibus aliquo pacto ingenuis enati essent. Eam ob rem Cicero in Top. 6. ex Scaevolae iurisconsulti sententia *gentiles* in universum appellatos ait: *qui ab ingenuis oriundi sunt; quorum maiorum nemo servitutem servivit.*

Sacra privata erant, quae sibi quaeque familia, vel gens constituisset. De qua re ita scripsit Macrobius I. Saturnal. 16. *Sunt praeterea Feriae propriae familiarum, ut Claudiae familiae, vel AEmiliae, sive Iuliae, sive Corneliae,*

§. II.

De Municipiis.

I. Appellata Mvnicipii nomine illa oppida fuerunt, quibus Romanae civitatis iura impar-

---

Et Cic. da Harusp. resp. 15. *Multi sunt etiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilitia illo ipso in sacello factitarint.* Horum igitur participes illi tantum erant, qui ex eadem familia, genitere essent. Ex quo manavit, ut et filius emancipatus sacrorum patris expers fieret; et contra filius adoptivus ad eorum communionem admitteretur. De quo ultimo genere verba sunt Valerii Max. VII. 7. 2. *M. Anci filius in Suffenatis familiam, et sacra transierat.* Ac talia *sacrorum privatorum* iura exstitere.

Ad *connubiorum* porro ius pertinuit, ut Romanis cum peregrinis nulla essent connubia. Fuit etiam per Decemviros lata lex, qua connubia inter patres plebemque prohiberentur, de qua Dionysius p. 674. sed eam abrogatam paullo post fuisse constat a Livio IV. 6. Denique connubiorum iuris fuerunt omnia illa sollemnia, quae celebrari more Romano solita in de Nuptiis animadvertimus.

Ius *patrium* apud Romanos vere fuit amplissimum. Etenim per Romuli legem ea data est patribus, et quidem in perpetuum, facultas, ut filios possent coërcere, verberare, in rusticis operibus habere, denique necare, etiamsi hi rempublicam administrarent, aut summos honores gessissent. Sed vero etiam ter eos venundandi copia fuit: ut si filius bis a patre venditus, ac bis a domino manumissus esset, utraque vice in patris recideret potestatem, contra ac cum ipsis servis agebatur, quibus una manumissio libertatem dabat. Rem totam ita litteris mandavit Dionisius p. 96.

Iam *testamentorum* ius ideo inter reliqua Quiritium iura recensetur, quia testamentum condere Romano more, nisi civis Romanus, nemo poterat. Ex quo plane Cicero pro

tita essent. Quare Gellius XVI. 15. *Municipes*, inquit, *sunt cives Romani ex Municipiis, legi-*

Arch. 5. probat Archiam civem Romanum esse, quia *testamentum,* inquit, *saepe fecit nostris legibus.* Triplicem autem faciendi testamenti rationem, quae Romanae consuetudinis fuit, expositam habes Part. I. p. 91. adnot. 37.

Ius *hereditatum* eiusmodi erat ut civi Romano non alius, quam Romanus civis heres esse posset. Quo alio argumento utitur Tullius ibid. ad ostendendum, fuisse iam Archiam Romanae civitati adscriptum, quia *adiit hereditates civium Romanorum.*

Mancipatio fuit abalienatio rei facta per aes et libram, cuius formam descriptam reperies p. 91. et seq. adnot. 37. Et fiebat illa quidem in *rebus mancipi*, quae scilicet in proprio *mancipio* (id est domino) essent. In eo autem venditionis genere venditor *nexu* ad rem emptori perpetuo praestandam se obligabat. Quod ita declaravit Cicero pro Mur. 2. *In iis rebus repetendis, quae mancipi sunt, is periculum iudicii praestare debet, qui se nexu obligavit.* Fuit vero *nexus* ipsa obligatio, stipulatione, certoque ritu conclusa; quem describit Festus his verbis: *Manceps, id est is, cui res abalienabantur, stipulabatur ab altero: Dare spondes? et alter respondebat: Spondeo : simulque dicis causae spondentem alligabat, ac nectebat.* Verum de *nexu* non inutile erit adiicere nonnunquam hoc vocabulo quandam aliam obligationem fuisse designatam. Huius generis erat, quam subibant vel debitores creditoribus addicti, vel res pignori datae. Itaque eiusmodi persona, ac res, non quidem *iure mancipi* (quemadmodum coëmptae) sed *iure nexi* habebantur. Quam ob causam Cicero de Harusp. resp. 7. facto utriusque iuris discrimine, inquit: *Multae sunt domus in hac urbe . . . iure hereditario, iure auctoritatis, IVRE MANCIPI, IVRE NEXI.*

Altera abalienationis forma fuit *in iure cessio.* Quapropter Cicero Top. 5. *Abalienatio*, inquit, *est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu* (scil. mancipatio), *aut in iure cessio, inter quos ea iure civili fieri possunt.* Quonam autem haec pacto fieret, significant verba

bus suis, et suo iure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes; a quo

---

Boëtius ad Top. Cic. 1. *Apud magistratum populi Romani, ut apud praetorem, vel praesidem, is, cui in iure res ceditur, rem tenens ita vindicat: hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio. Deinde postquam hic vindicaverit, praetor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet: quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicaverit, eam rem addicit.*

Emptio sub corona captivos spectavit, qui vendi solebant coronati. Hoc pacto, narrante Livio XXIV. 42. *Turdetanos in potestatem reductos SVB CORONA VENDIDERVT.* Nec alia de eadem re desunt exempla. Iam horum coronatorum emptio tantum iuris emptori dabat, quantum alii contractus sollemnibus suis celebrati ritibus afferebant. Varr. II. R. R. 10.

Auctio quoque, quae fiebat ad hastam, praecone praesente, pretiumque proclamante; res autem addicente magistratu, legitimum emptori dominium iure Quiritium parabat. De quo instituto notandum illud suppetit, quoniam in his venditionibus res ei cedebant, qui plus ceteris pretium *auxisset*, hinc et ipsum venditionis genus dictum *auctionem* fuisse; et cui res addicta esset, *auctorem*; et ius hac ratione quaesitum *auctoritatem*. Vnde et illud (quod corollarii heic loco sit) postea manavit, ut generatim *auctor* pro eo, qui ius in rem aliquam haberet, et *auctoritas* pro ipso iure poneretur. Ita Cicero V. Verr. 22. *Tum illi intellexerunt, se id, quod a MALO AVCTORE* (cui vendendi ius non erat) *emissent diutius obtinere non posse.* Lege autem Atinia apud Gellium XVII. 7. scriptum erat: *Si quid surreptum erit, eius rei AETERNA AVCTORITAS esto*, scilicet ius rem furto ablatam ius domini sempiternum sit.

Vsucapionis, porro ius eiusmodi fuit, ut rei alicuius vel mobilis per annum; vel immobilis per biennium possessae dominium acquireretur. Vlpian. in Fragm.

Atque haec ferme fuerunt privata Romanorum civium iura.

munere capessendo appellati videntur; nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romaui lege

---

2. Publica porro erant iura *census*, *militiae*, *tributi*, *suffragiorum*, *honorum*, *sacrorum*.

De *censu* dictum sat est in de Censoribus Part. I. p. 127. et seq. Romae autem unos Romanos cives censeri potuisse certum est.

Ius *militiae* eo pertinuit, ut Romanis legionibus non alii, quam cives, quirent adscribi.

Tributum etiam ad cives spectavit. Quod triplex exstitit, videlicet *in capita*, *ex censu*, et *extra ordinem*. Prioris generis tributum aeque divitibus, ac pauperibus, quando pecunia opus esset, imperabatur: eaque consuetudo sub primis regibus obtinuit, referente Dionysio p. 223. Tributum porro *ex censu* invectum a Servio fuit, quod pro ratione census pendebatur, uti constat a Livio l. 42. Hoc autem novo instituto Tributum *in capita* interiit: quanquam deinde illius Tarquinius Superbus revocavit, prout tradit Dionysius p. 245. mox tamen abolito regno penitus extinctum est. Posthac igitur tributum pro suo quique censu pendebant cives. Vid. Liv. IV. 60. Postremo *extra ordinem* (quod *temerarium* Festo dictum) Tributum illud fuit, quod reipublioae levandae gratia extra solitam rationem indicebatur.

De *suffragiorum* iure, civium Romanorum proprio, multa admodum prolata a nobis sunt. Part. I. p. 109. et seqq.

Iura *honorum* in eo fuerunt, ut magistratibus et sacerdotiis soli Romani cives perfungi possent.

Denique ius *sacrorum* tale erat, ut cives Romani non aliis, quam quae Romae vigerent, sacris tum publice, tum privatim uterentur.

II. Sed iam ad Latinorum iura veniamus, ut hinc appareat, quatenus ea a Romanorum sive privatis, sive publicis iuribus abscesserint.

1. Et quod ad *libertatem* attinet, fuit sua quidem populis Latinis, at qua alis et ceteris gentibus communis erat, non qua Romanus unice fruebatur: pro quo uno latae ad

adstricti. E quibus verbis elucet etiam tum nomenclaturae origo; tum quam potior fuerit mu-

---

eam, amplificandam, quas ante memoravimus, leges fuerant.

Connubiorum ius nullum plane Latinis cum Romanis exstitit, nisi quando publica auctoritate speciatim permitteretur. Quare scriptum reliquit Vlpianus in Fragment. *Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis; cum Latinis autem et peregrinis ita, si concessum sit.*

Patrium potestatem non eandem inter Latinos, atque apud Romanos, viguisse patet ex eo, quod §. 2. Institut. de patr. pot. dicitur: *nullos fuisse homines, qui talem habuerint in liberos potestatem, qualem Romani habebant.*

Ad *hereditatem* porro Romani civis admitti Latinus non poterat, nisi civitatis iura obtinuisset: quod Tullii testimonio satis supra declaratum est.

Reliqua porro iura Quiritium nil admodum ad Latinos pertinuerunt. E quibus omnibus iam paret, quam longo intervallo latinitas a privato Romanae civitatis iure abstiterit.

2. Nec tamen publicis iuribus fruiti magis Latini sunt. Certe de *censu* ita actum est, ut Romae nunquam, sed suis in civitatibus Latini censerentur. Quod si qui eorum aliquando in tabulas Romanas irrepserunt, cognitam deinde fraudem coërcere curatum est. Adeatur Livius XXXIX. 3.

Militiam in Romano exercitu obibant Latini, non tamen ut legionarii, sed uti socii: de qua re diximus Part. I. p. 211.

Iam *tributorum* rationem non paullo duriorem Latinis, quam Romanis civibus, fuisse credendum est. Certe apud Appianum Bell. Civ. I. generatim de sociis dicitur: *Eos militando, et tributa conferendo gravatos esse.*

Suffragii aliquo iure ex Cassii foedere fruebantur Latini quidem, at ita tamen, nisi a consulibus prohiberentur. De quo toto vide scripta Part. I. p. 111.

Ad *honores* Romae gerendos nulla vulgo patuit Latinis via. Itaque cum ii quondam a senatu Romano per legatos petissent, ut alter consul ex Latio crearetur, ita T.

nicipiorum prae coloniis conditio, quippe cum ea Romanis legibus obnoxia non essent.

II. Etsi vero omnia Municipia civitate Romana fruerentur, non una tamen eademque fuit universorum ratio. Etenim alia quidem cunctis omnino civitatis iuribus erant ornata: et alia suffragii iure, omnium maximo, carebant. Quare prioris generis municipes et in aliquam Romanam tribum adscribebantur, et reipublicae honores petere poterant: secus vero ceteri. Verum id discriminis sustulit tandem, quam sae-

---

Manlius consul indignabundus respondit. *Audi*, *Iupiter*, *haec scelera: audite ius fasque. Peregrinos consules. . . Iupiter . . . . visurus es*? Liv. VIII. 5.

Cum autem id certum habeatur, fuere tamen e Latinis, qui Romae adipisci honores possent, ii nimirum, qui magistratu in patria functi essent. Constat res cum primis ab Appiani relatu Bell. Civ. IV. *Novum Comum Caesar ad ius Latinorum redegit, apud quos qui annuum gessissent magistratum, cives Romani fiebant: hanc enim vim habuit Latinitas.*

In *sacrorum* denique communionem (si modo Latinas ferias exceperis, de quibus fuit a nobis facta mentio Part. I. p. 125. adnot. 46.) nunquam Latini populi venerunt.

III. Iam porro ius Italicum Latino deterius non paullo fuisse, patet per hoc statim, quod Italici onera quidem, quae Latini, ferrent, eorundem vero iuribus expertes essent. Primum enim *militare* et ipsi Romanis in exercitibus debebant. *Tributorum* autem mole gravari non mediocri solebant. Vnde fuit, ut Cicero III. Verr. 11. Italiae partem, ad Galliae, Hispaniae, aliarumque, quas memorat, provinciarum instar, vectigalem fuisse significaverit.

Contra nullo plane Itali, neque *suffragiorum*, neque *sacrorum*, neque obtinendorum in Vrbe *magistratuum* iure fruebantur. Testatissima haec universa sunt. Itaque nihil est, quod huc a nobis adiiciatur.

pius memoravimus, lex Iulia, civitatem Italis omnibus promiscue elargita.

III. Abs re autem non fuerit, postremo monere, *Municipii*, et *Coloniae* vocabula confusa nonnunquam a scriptoribus fuisse. Hoc certe pacto apud Livium XXVI. 8. *Ipse per Appiae Municipia, quaeque propter eam viam sunt, Setiam, Coram, Lanuvium, praemisit:* ubi *Municipia* dicuntur, quae alias *Coloniae* appellantur. Et sane Gellius XVI. 13. ita de hac re scripsit: *Quotus nostrum est, qui cum ex colonia populi Romani sit, non et se municipem esse, et populares suos municipes esse dicat?*

§. III.

De Praefecturis.

I. Italicas urbes, quae ob aliquam noxam in populum Romanum admissam suis legibus ac magistratibus privabantur, Praefectique Roma illuc ad ius dicundum missi regimini subiiciebantur, PRAEFECTVRAS Latini vocaverunt. Earum formam profert Livius XXVI. 16. e Capuae exemplo expressam: de qua urbe, quod ad Annibalem defecisset, hoc enuntiat factum senatus consultum: *Habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse . . . . . . Praefectum ad iura reddenda ab Roma quotannis missuros.* Itaque et municipiis, et coloniis non paullo Praefecturae deteriores erant.

Inficiandum vero non est, duriore prae reliquis Praefecturis conditione Capuam fuisse. Concedi namque aliis, ut aliquam reipublicae effi-

giem retinerent, testatur his verbis Festus: *Praefecturae hae appellantur in Italia, in quibus et ius dicebatur, et nundinae agebantur, et ERAT QVAEDAM EARVM RESPVBLICA.*

Cognitu vero etiam digna sunt, quae continuo scriptor idem adnectit. Inquit enim: *Quarum* (Praefecturarum) *genera fuere duo: alterum, in quas solebant ire Praefecti decem, populi suffragio creati; et erant haec oppido, Capua, Cumae, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteoli, Acerrae, Suessula, Atella, Calatia. Alterum. in quas praetor urbanus quotannis Praefectos ex legibus mittebat, ut Fundi, Formiae, Cerae, Venafrum, Allifae, Privernum, Anagnia, Frusino, Reale, Saturnia, Nursia, Arpinum, et alia complura.*

II. Illud porro huc adiectum volumus, praeter has Praefecturas Romanas, exstitisse quoque colonicas Praefecturas. Hae nimirum erant illi terrae tractus, qui e vicini oppidi finibus adiungi coloniis solebant: quod quidem fiebat ad augendum vetus coloniae territorium. Huius generis est, quod tradit Frontinus: *Calatia oppidum coloniae Capuensi a Sulla Felice cum territorio suo adjudicatum olim ob hosticam pugnam.* Eiusmodi vero additamenta dicta *praefecturas* fuisse ostendunt verba Hygini in Groma.t de limitib. *Quibusdam deinde coloniis perticae fines, hoc est primae assignationis, aliis limitibus, aliis Praefecturae continentur.* Quae ideo hoc donatae sunt nomine, quod illuc a sua colonia, perinde atque Roma in Praefecturas Romanas, Praefecti iuri dicundo mittebantur. Plura de his Mazochius in Amphit. Camp. tit. p. 44. et seqq.

§. IV.

De Provinciis.

I. Regiones extra Italiam positae, quae vi armorum in populi Romani ditionem, tum vero legibus, ac magistratibus a Romano datis subditae essent, PROVINCIAE nuncupatae sunt. De quibus igitur regionibus actum sic foret, eae *in provinciae formam redactae* dicebantur.

Haec autem forma non eadem omnium fuit, sed durior, mitiorve pro eorum arbitrio, quorum id potestatis erat, nempe decem legatorum, qui a senatu ad id mittebantur, ut devictae regionis iura, remque publicam constituerent. Idque prorsus est, quod apud Tullium XII. Philipp. 12. *bellis confectis, decem legatis permitti solet more maiorum.* Certe legum per hos legatos provinciis impositarum exempla non infrequentia exhibet Livius. Videri e ceteris poterit, quod ab eo profertur XXXIII. 30.

Ex his igitur legibus ius provinciale maxime constitit. Ad quod tamen ipsum conformandum non minimum attulerunt edicta Praetorum. Verum de his edictis cum actum a nobis fuerit Part. I. p. 135. nihil huc conferimus. Quam ipsam ob causam de magistratibus, quibus administrandae provinciae mandabantur, heic tacemus; quippe quod ibid. p. 158. et seqq. universa ad eos spectantia palam fecerimus.

II. Non legibus vero tantum, sed tributis etiam, vectigalibusque obnoxiae provinciae fiebant. Ac de his adverte primum, etsi nihil saepe inter *tributum*, ac *vectigal* apud Latinos intersit, tamen, ubi subtilior sermo sit, alterum

ab altero distingui Quare a Spartiano in Marc. Anton. Philos. 23. discriminatim dicitur: *VECTIGALIA, VEL TRIBVTA, ubi necessitas erat, remisit.* Vnde fuit, ut *Tributarii*, sive *Stipendiarii*, tota vocabulorum vi servata, a *Vectigalibus* diversi essent.

Fuit autem Tributum certa pecunia, quae in capita imperabatur. Ex quo ipso ortum est *capitationis* vocabulum, a sequioris aevi scriptoribus usurpatum. De hoc genere locutus Tertullianus est Apolog. 13. cum inquit: *Agri tributo onusti, viliores; et hominum CAPITA STIPENDIO CENSA, ignobiliora: nam hae sunt notae captivitatis.* Capitatio certe fuit illa Judaeorum, a Tito post urbis templique excidium imperata: per quam factum est, ut didrachmum (uti est apud Matthaeum 17.), quod antea, cum essent sui iuris, in Hierosolymitanum templum singuli conferebant, id iam Romanis armis subacti in Capitolinae aedis usum persolverent. (Ioseph XVIII. Antiq. 13.) Quod tributum adhuc aetate sua fuisse pensitatum testatur Origenes in Epistola ad Africanum.

Vectigalia porro, e solo exigi solita, abunde exposita per nos sunt Part. I. p. 80. et seq. ut propterea nihil de his in praesentia declarandum supersit.

Illud modo, quod huc conferat, animadverti volumus, ita de subactarum gentium agris fieri consuevisse, ut vel ii Romanae reipublicae adderentur, vel eodem aliqua ex Vrbe missa colonia induceretur, vel denique ipsi devicto populo relinquerentur: ac tum demum vectigales eos plerumque factos.

III. Hactenvs de Provinciis proprie dictis habitus sermo est. Perpauca nunc de *Provinciis*

Quaestoriis adiicienda esse censemus. Erant hae quidem non verae provinciae, sed quaedam in Italia procurationes, quas demandari Quaestoribus mos erat.

Ex his una exstitit *Ostiensis*: quae ab urbe Ostia appellationem sortita, in mari infero tuendo tota erat. Memorat sic eam Cicero pro Mur. n. 8. *Habuit hic lege Titia Provinciam tacitam et quietam: tu illam, cui, cum Quaestores sortiuntur, etiam acclamari solet, Ostiensem, non tam gratiosam, et illustrem, quam negotiosam et molestam.* E quibus intelligitur, fuisse hanc Provinciam ceteris quaestoriis contemptiorem.

Altera fuit *Gallica*: cuius erat, orae circumpadanae advigilare. De ea meminit Suetonius in Claud. 24. *Detracta*, inquit, *Quaestoribus Ostiensi, et Gallica provincia, curam aerarii Saturni detulit.*

Tertia porro quae fuerit, indicat Tacitus Annal. IV. cum ita narrat: *Erat iisdem regionibus Curtius Lupus Quaestor, cui Provincia vetere ex more Cales evenerat.* Erat igitur Cales sedes Quaestoris, cum Italiae tractum accurantis: quem sane tractum per totum agrum Campanum, Sidicinumque Brundusium usque procurrisse credit Lipsius.

Quartam etiam fuisse, plurium opinio est. Verum in lucem de ea adhuc nihil prodivit.

CAPVT XII.

De Magistratibus Ab Augusto Institutis.

Postquam Romanae rei administratio assumpta ab imperatoribus fuit, praecipuum e reliquis,

maximeque memorabile illud exstitit, quod novus Magistratuum ordo sit comparatus. Id in primis ab Augusto factum: qui, referente Suetonio in eius vit. 37. *quo plures partes administrandae reipublicae caperent, nova officia excogitavit.* His autem alia inde non pauca per sequiorum aetatum Principes accesserunt. Ita honorum munerumque id genus ad imperii tempora spectantium numerus mirifice excrevit. Nos, ceteris, quae a genuinae latinitatis aevo remotiora minus instituti nostri sint, praetermissis, ea tantummodo, quae per Augustum invecta sunt, extrema hac totius operis parte exponemus.

§. I.
De Praefecto Vrbi.

I. Cum de Magistratibus, qui reipublicae tempore viguerunt, verba faceremus, inter alios extra ordinem creari solitos etiam Praefectum Vrbi recensuimus, et quanam is de causa, atque ad quid muneris allegeretur, declaravimus Par. I, p. 154.

Imperatorum vero aetate magistratus non ordinarius modo, sed a priore etiam illo longe diversus fuit Praefectvs Vrbi, ad novum ferme totum, perpetuumque ab Augusto officium delegatus. (Dio p. 478.)

II. Circa quae autem hoc versaretur, et quam magnae simul potestatis esset, satis indicat idem historicus, dum narrat ibidem, praeter reliquam urbis curam, tum causas universas, quibus ab aliis magistratibus provocaretur, tum criminum omnium vel in urbe, vel intra centesimum ab urbe lapidem admissorum quaestiones fuisse ipsi demandatas.

Servatum id quidem omne deinde est, uti paret ex l. 1. D. de Offic. Praef. Vrb. Quo in loco praeterea de certis quibusdam causarum generibus ad illius cognitionem pertinentibus fit mentio, quae scilicet orirentur aut a servorum contra dominos querelis, et vicissim, aut a patronis in libertos ingratos, aut denique adversus tutores, curatoresve, qui rem suae fidei traditam male gessissent.

III. Quae vero eadem lege Praefecto, quo de agitur, tribuuntur, ad urbis ea quidem custodiam regimenque, quod alterum illius fuit munus, maxime spectant. Etenim eius fuisse traditur, nummularios in officio continere; negotiatione, professione, foro merentem quemvis interdicere, necnon ab Italia relegare; carnem iusto pretio vendendam curare; spectaculorum disciplinam, civiumque in primis tranquillitatem tueri. Quam ipsam ob rem milites ab eo in stationibus urbis ad compescendos tumultus dispositi habebantur.

Ad id praestandum satis certe ei militum fuit. Etenim praeerat ipse Cohortibus urbanis, quae cum quatuor essent, tum vero singulae e mille et quingentis hominibus constabant. (Dio p. 565). Hinc de Flavio Sabino Praefecto Vrbi Tacitus Hist. III. inquit: *Esse illi proprium militem Cohortium urbanarum.* Hae quidem ad urbis praesidium ab Augusto constitutae, ibidem sua quaeque castra habebant, quae *Castra urbana* nuncupata. Ipsi earum milites *Vrbanici*, et *Vrbaniciani* dicti.

IV. Datum porro Praefecti Vrbi dignitati fuit, ut et sententiam primus in senatu diceret, et Carpento uteretur. (Cassiod. VI.) Vide sis memorata a nobis Part. I. p. 341.

§. II.
De Praefectis Praetorio.

I. Ad id modo unum initio allectos, et quidem per Augustum, PRAEFECTOS PRAETORIO fuisse, ut cohortibus praetoriis praeessent, liquet ex narratione Dionis p. 555. Harum autem cohortium originem, genusque expendere primum paucis utile fuerit.

Certe quidem *Cohortis praetoriae* usus vetustiore aevo is fuit, ut ea praetorem, idest ducem ipsum in praelio circumstans assidue tutaretur. Quam propterea fac omnino credas fuisse eandem illam selectorum evocatorumque manum, quam in acie circa imperatorem positam tradidimus Part. I. p. 228.

Loquitur de ea Festus (v. *Praetoriae cohors*), primumque ipsius auctorem facere videtur P. Scipionem. Verum multo ante adhibitam ostendit locus Livii II. 30. ubi Postumius dictator *COHORTI SVAE, quam delecta manu praesidii causa circa se habebat, dat signum.*

Iam coorto post mortem Caesaris bello Triumviri plures secum praetorias cohortes dominationis suae firmandae gratia habuisse creduntur. Etenim apud Appianum Bell. civil. V. Antonius et Octavianus post praelium Philippense *dimiserunt ex militia illos, qui iustum tempus militaverant, praeter octo millia hominum, quos . . . . . descripserunt in PRAETORIAS COHORTES.*

Demum Augustus rerum potitus novem eiusmodi cohortes (prout refert Tacitus Hist. II. cum decem dixerit Dio p. 565.) singulas e mille hominibus conflatas ad perpetuam sui custodiam in urbe constituit. Haeque fuere tempore

imperii *Cohortes praetoriae*, saepe *Praetoriani milites*, et *Praetorium* nuncupatae. Quibus etiam posita ad urbem castra dominante Tiberio, *Castra Praetoria* dicta sunt.

Id militum genus robore, ac genere quidem longe ceteris praestitit; non aliunde, quam ex Etruria, Vmbria, vetere Latio, antiquisque Romaniis coloniis desumi solitum. (Tacit. Annal. IV).

II. His igitur cohortibus praepositi, *Praefecti Praetorio* audierunt. Ex quo statim apparet, eodem illos, cum primum has partes suscepere, apud Principes loco fuisse, quem olim apud reges tribuni celerum obtinuerant. Ideo autem binos eos Augustus esse voluit, ut tutior sibi foret duorum fides, quanquam reliqui deinceps Imperatores pro suo quique arbitrio unum, duos, nonnunquam etiam tres adhibuerunt.

III. Ad modo dictum Praefectorum Praetorio munus alia vel mox, vel decursu temporis accesserunt.

Ex iis fuit cura reorum, quos princeps in vincula coniici iussisset, quippe cum hi a praetorianis militibus custodirentur, propptereaque Praefectorum Praetorio auctoritati subessent. (Tacit. Annal. VI. et Plin. X. Epist. 65.)

Longe vero maius illud fuit, quod ad iudicia una cum Imperatore exercenda vocati aliquando sunt. Ita M. Antoninus referente Capitolino 11. *habuit secum Praefectos* (scil. urbi, et praetorio) *quorum et auctoritate, et periculo semper dictavit.*

Inde autem et per se ipsos iudicasse; et quam maxima ceste potestate, elucet satis e Diocletiani lege sic comparata: *Litigantes in amplissimo Praetorianae Praefecturae iudicio, si contra ius se laesos affirment, non provocandi, sed sup-*

plicandi licentiam ministramus. (l. unic. C. de sentent. Praef. Praet.) Ita nulla ab eis fuit provocatio: *Credidit enim Princeps* (uti dicitur l. unic. D. de offic. Praef. Praet.) *eos . . . . . . non aliter iudicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suae, quam ipse foret iudicaturus.*

Denique eo res paullatim venit, ut iam is magistratus proximum Principis administrum ageret. Quare et eius potestas non multum ab imperatoria distare visa est; et dignitas βασιλεία ἀπόρφυρος (*regnum purpura expers*) aliquando dicta, quasi ei ad supremi imperii amplitudinem una modo purpura deesset.

IV. Praefecturae huius insignia fuere Gladivs, et Carpentvm. De Gladio certa sunt antiquitatis monumenta: per quae illud quoque palam fit, Imperatorem eo tradendo Praefectos ipsos creasse. (Herod. III. Dio p. 778.) De Carpento dictum sat. est Part. I. p. 340.

Qvae vero nova Praefectorum Praetorio ratio illata dein per Constantinum fuit, eam utpote proposito nostro alieniorem; neque tamen omnino praetermittendam, in ima ora reposuimus (58).

(58) *De nova Praefecturae Praetorianae ratione.*

I. Non parum a priore diversam formam induxit Praefecturae praetorianae Constantinus. Etenim aucto ad quatuor eiusmodi Praefectorum numero, binos deinde Orienti, totidemque Occidenti destinavit, ubi attributum sibi quisque Tractum administraret.

II. Fuit autem *Tractus* ampla quaedam regio, in *Dioeceses*, et *Provincias* divisa; ita ut et Tractus plures Dioeceses, ac Dioecesis plures Provincias contineret. Bini igitur tum in Oriente, tum in Occidente, extitere Tractus.

1. Vnus orientalis Tractus, qui *Oriens* appellatus, qui-

§. III.

De Praefecto Annonae.

I. Perinde ac Praefectus urbi, etiam PRAEFECTVS ANNONAE, de quo dicere aggredimur,

---

que ceteris omnibus antecelluit, quinque comprehendit dioeceses, Orientem, Aegyptum, Asiam, Pontum, Thraciam.

Ex his prior, scilicet Oriens, in quindecim divisa est provincias. Aegyptus porro in sex. Asia in decem. Pontus item in de-em. Thracia in sex.

Ita universae orientalis tractus provinciae septem et quadraginta fuerunt. Numerus sane quam amplus.

2. Alter in Oriente Tractus duas habuit dioeceses, Macedoniam, et Daciam. Quarum illa in sex, haec in quinque partita est provincias.

3. Duorum vero in occidente Tractuum alter tres dioeceses continuit, Italiam, Illyricum occidentale, et Africam. Atque ex his prima in septendecim distributa provincias fuit; altera in sex; postrema in septem.

4. Alter autem occidentalis Tractus tres item dioeceses comprehendit. Galliam, Hispaniam, et Britanniam. Earundem prima septendecim, secunda septem, tertia quinque praedita provinciis est.

III. E quatuor igitur Praefectis Praetorio a Constantino ordinatis unus Praefectus Praetorio Orientis dictus; alter Illyrici; tertius Italiae; quartus Galliarum.

Huc vero adiiciendum se illud offert, Africam, quae Italico tractui adnexa antea fuerat, per Iustinianum posthac fuisse inde divulsam, propriumque Praefectum Praet. accepisse: Quapropter eo ex tempore quinque Praefecti Praet. sunt recensiti.

IV. Iam quisque eorum, rectoribus singulas provincias administrantibus, universo simul tractui ita praeerat, ut se vere principis vicarium per totam eam regionem praestaret. Ibi e primis urbibus unam destinatam sibi habebant sedem. Ita Praefecti Praet. Orientis domicilium erat Antio-

a republica ortum duxit; qua florente creari, cum fame urbs laborabat, levandae annonae gratia solebat, prout Part. I. p. 156. dictum. At vero Imperatorum aevo magistratus ordinarius fuit, eoque praeditus munere, quod mox patebit.

Huiusmodi praefecturam ipse sibi assumpsit Augustus, perque binos e praetoriis viros ad frumentum populo dividundum quotannis allectos administravit. Ex quo primum tempore officium Praefecti annonae stabile perpetuumque factum.

II. Eius cura praecipua fuit Frumentatio, tota in eo posita, ut populo frumentum (59) gratui-

---

chia: Praefecti Illyrici, Thessalonica: Praefecti Italiae, Mediolanum: Praefecti Galliarum, priore aetate Treveris, sequiore Arelate: Praefecti demum Africae, Carthago.

(59) Aliquod frumentationis genus etiam primis reipublicae temporibus adhibitum nonnunquam fuisse constat. Ita apud Plinium XVIII. 3. *Manius Marcius aedilis plebis primum frumentum populo in modios assibus donavit.* Ac narrante Livio IV. 16. *L. Minutius . . frumentum Maelianum assibus in modios aestimatum plebi divisit.*

Accesserunt vero postea leges frumentariae, quees huiusmodi largitiones veluti stabiles in posterum forent. Harum prima memoratur Sempronia, a C. Sempronio Graccho lata, de qua in Epitome Liviana LX. sic dicitur: *C. Gracchus Tiberii frates perniciosas aliquot leges tulit: inter quas frumentariam, ut semisse et triente frumentum daretur.*

Hanc tamen ingentem adeo Sempronii munificentiam temperavit quinto post anno Octavius tribunus plebis nova lege: de qua Cic. II. Offic. 21. *C. Gracchi*, inquit, *frumentaria magna largitio exhauriebat aerarium: modica M. Octavii et reipublicae tolerabilis, et plebi necessaria.*

Successit deinde les Appuleia, per quam L. Appuleius Saturninus tribunus plebis Sempronianam rationem retulit. Liquet id quidem ex his verbis. I. ad Herenn. 12. *Cum*

te praeberetur. Quid ille non per se quidem, sed ad Augusti exemplum per duos administros, qui dicti *Curatores frumenti populo dividundi*, peragebat. Hi ergo ex illius auctoritate singulis mensibus tesseras frumentarias viritim distribuebant; ut qui eas (60) habuissent, aliquo e publicis horreis (quae ad trecenta et novem a P. Victore recensentur) adito, illisque exhibitis, inscriptum frumenti numerum a mensoribus frumentariis acciperent.

Posteriore autem aetate pro frumento Panis datus. De quo adi, si lubeat, subiectam adnotationem (61).

L. Saturninus legem frumentarium de semissibus et trientibus laturus esset, etc.

Denique lex Clodia, per P. Clod. tribunum plebis lata eo processit, ut p.o. ulo frumentum plane gratuito tribuerit. Quare de ea loquens Asconius in Pis. 4, talem fuisse affirmat, *ut frumentum populo, quod antea semis aeris ac trientibus in singulos, modios dabatur, gratis daretur.*

(60) Singulis mensibus distributas tesseras frumentarias fuisse constat. Quem morem iam ante inductum retinuit Augustus; qui referente Suetonio in eius vit. 4. *ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum, quaternum mensium tesseras dare destinavit; sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cuiusque mensis acciperet.*

Eorum porro, qui frumentum accipiebant, numerus, praesertim antequam a Caesare minueretur, fidem prope excesserit. Etenim idem historicus in vit. 41. haec de eo prodit: *Ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum ad centum quinquaginta retraxit.* Quam tamen multitudinem ad ducenta millia ab Augusto auctam scripsit Dio p. 554.

(61) Quis Imperatorum primus frumentum populo distribui solitum in Panem converterit, non plane a scripto

Adhaec cum consecuti Principes oleum, et suillam priori largitioni addidissent (62), earum quoque rerum ad ipsum Praefectum annonae pertinuit distributio.

---

ribus liquet. Videtur tamen eius rei auctor Aurelianus prae reliquis dici posse: de quo tradit Vopiscus 35. *Coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siligenei vocantur; et singulis quibusque donasse, ita ut siligineum suum quotidie toto aevo suo et unusquisque reciperet, et posteris suis dimitteret.*

Dictus autem ille quidem fuit *Panis gradilis* ea de causa, quod dispertiri in gradibus consuesset. Horum autem graduum nomine quosnam intelligi oporteat: num qui in amphitheatro dispositi erant, an qui fortasse ad pistrina, vel in foro exstructi fuissent, cum disputent eruditi, haud rem extricant.

Eumdem porro panem *fiscalem* cognominavit aliqua aetas. Ita veteres glossae ad Pers. III. in haec verba loquuntur: *Farinam, panem non deliciosius cribro discussum, sed plebeium, de populi annona, idest FISCALEM dicit.* Ex quo loco et illud cognosci datur, id panis genus, initio siligineum optimaeque notae, a praestantia tandem sua degenerasse. Quod tamen vitium emendavit postea Valentinianus; uti patet ex eiusdem lege C. Th. de ann. civ. quâ pro *sordidis*, quales nempe iam exstiterant, *mundos* deinceps panes datum iri spondetur.

(62) De oleo quidem satis esse poterit testimonium Lampridii in Alex. Sev. 22. ita narrantis: *oleum, quod Severus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus praefecturam annonae tribuendo, integrum restituit.*

Carnis vero suillae praeberi item solitae mentio hoc pacto fit a Vopisc. in Aurel. 47. *Statuerat et vinum gratuitum populo Romano dare, ut quemadmodum oleum, et panis, et porcina gratuita praeberentur, sic etiam vinum daretur.* Verum quominus id faceret, prohibitum a Praefecto praetorii sui paullo post traditur; qui sic locutus fertur: *Si et vinum populo Romano damus, superest ut et pullos, et anseres demus.*

Is interim pro sui officii ratione maxime frumentum, panem, panisque munditiem accurabat. Neque vero studii minus conferebat in illud, ut ne obsonia cariore, quam par foret, pretio venderentur.

III. Quanquam autem ille initio magistratus vere non fuit, postquam tamen eius crevit auctoritas habuit et ipse suam iurisdictionem. Itaque inter pistores, mensores, negotiatoresque frumenti iudicia exercuit, uti e pluribus legum locis apparet. Illis etiam, qui in annonam deliquissent, multam irrogandi ius ei fuit.

Ad quae omnia rite agenda praesto eidem erant Apparitores.

§. IV.

De Praefecto Vigilum.

I. Prohibendorum incendiorum munus, quod olim triumviri nocturni (de quibus Part. I. p. 143.) obiverant, impositum dominante Augusto fuit Praefecto Vigilum. De quo sic se res habuit. Cum plura uno die exorta Romae fuissent incendia, Augustus, ut tanto in posterum malo obviam iretur, septem per opportuna loca constituit cohortes e libertinis conscriptas, quae singulae binas regiones assidue tuerentur. Eisdem cohortibus praepositi tribuni sunt, universis autem Praefectus Vigilum. (l. 3. D. de offic. Praef. Vig.)

II. Huic maximopere curandum erat, ne quod usquam incendium excitaretur. Quam ob causam debebat, prout memorata modo lege traditur, totam vigilare noctem; urbem pererrare, hamas secum, et dolabras habens; inquilinorum omnium vigilantiam adversus quosvis incendio-

rum casus intendere, facere etiam, ut apud eos aqua in coenaculo parata foret.

III. Suae porro ille auctoritatis vim contra eos, qui negligentius ignem habuissent, adhibebat; quandoquidem ipsos vel fustibus puniebat, vel certe acribus verbis minisque obiurgabat. In incendiarios praeterea, fures, effractores, receptatores, citra unam poenam capitis, animadvertebat.

§. V.

De Diversarum Rerum Curatoribus.

Praeter numeratos hactenus magistratus, alii quoque instituti ab Augusto fuerunt, communique omnes vocabulo *Curatores* dicti, addito tamen ut mox patebit quod peculiare singulis munus esset. De qua re Suetonius in Aug. 37. *Nova*, inquit, *officia excogitavit: Curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi.*

I. Ex horum igitur magistratuum numero fuit CVRATOR OPERVM PVBLICORVM. Cuius id exstitit munus, ut moenia, pontes, templa, basilicas, thermas, horrea, aquaeductus, aliaque id genus plurima vel facienda, vel reficienda redemptoribus locaret, universaque semper sarta tecta haberet.

II. Alii porro fuere CVRATORES VIARVM, qui vias extra urbem sternendas restituendasque curabant. Etenim ad eas, quae in urbe erant comparati iam ante a republica fuerant *Quatuorviri viarum curandarum*; de quibus Part. I. p. 148. Is autem ipse magistratus, cui externarum viarum cura foret, etiam ante Augusti principatum

extiterat. Ita apud Tullium I. Att. 1. *Thermus.... CVRATOR est VIAE FLAMINIAE.* Caesar quoque, testante Plutarcho, viae Appiae Curator fuit.

Quod cum ita sit, quid tandem novi hanc in rem Augustus intulit? Nimirum cum non antea nisi aliquando creari eum magistratum extra ordinem mos fuisset, locum deinde ipsi inter ordinem mos fuisset, locum deinde ipsi inter ordinarios rerum administratores hic Princeps dedit.

III. Qui porro CVRATOR AQVARVM dictus est, in aquas omnes urbem introëuntes debuit accurare. Itaque eius fuit, quoquoversus illas in privatos, publicosque usus derivare; ut etiam optima ratione haberentur, agere; ac ne alicunde quidpiam detrimenti acciperent, cavere. Quapropter iurisdictionem quoque habuit in eos, qui illarum integritati nocuissent. (l. 1. C. de aquaeduct.).

Ad tam autem operosum officium rite obeundum duplex ei familia praesto erat: altera ab Agrippa instituta, ducentos sexaginta homines complectens, altera e quadrigentis sexaginta constans, quam paravit Claudius, quando novas aquas in urbem invexit.

Omissum postremo nolumus, hunc magistratum labentibus annis *Consularem aquarum* fuisse nuncupatum, fortasse quia consularibus insignibus decorabatur (l. 1. C. de divers. offic.)

IV. Denique CVRATOR RIPARVM, ET ALVEI TIBERIS operam in id conferebat, tum ut affluminis alveus identidem repurgaretur, quod maxime navigationi commeatuique commodum fuit; tum ut ripae ad coërcendam aquarum vim firmae perstarent. Ad haec vero curae illi erat terminos figere, ultra quos nemo propius ripas aedificare, aut habitare posset.

APPENDIX

DE

NOTIS, sive SIGLIS ROMANORVM,

Maxime Memorabilibus.

A

A *Denotat* Abrogo. Absolvo. Anno. Annis. Ante. Apud. Augustus. Augusta. Augustalis. Aulus.
AA. Augusta. Augusti *duo*.
AAA. Augusti *tres*.
A. A. A. F. F. Auro Argento Aere Flando Feriundo.
AA. COSS. Augustis *duobus* Consulibus.
A. A. V. S. E. V. Alter Ambo-Ve Si Eis Videbitur.
A. A. V. S. L. M. Apud Agrum Vivens Sibi Locum Monumenti, *vel* Legavit Monumentum.
AA. VV. CC. CONSS. Augustis *duobus* Viris Clarissimis Consulibus.
AB. IN. E. L. F. E. Abdicavit. In Eius Locum Factus Est.
A. B. M. Amico (Amicae) Bene Merenti.
ABN. Abnepos.
ABS. Absolutus.

AB. V. C. Ab Vrbe Condita.
A. D. Ante Diem.
AD. FRV. EMV. Ad Fruges Emundas.
AED. CVR. AEdilis Curulis.
AEL. Aelius. Aelia.
AEM. Aemilia *tribu.*
AER. Aerarium. *etc.*
AET. AVG. Aeternitas Augusti.
A. F. A. N. Aulus Filius Auli Nepos.
A. FR. A Fronte.
AFR. Africa. Africanus.
AG. Agrippa. Agro. *etc.*
AGON. Agonalia.
A. H. D. M. Amico (Amicus) Hoc Dedit (Dedicavit) Monumentum.
A. K. Ante Kalendas.
A. L. Auli (Augusti) Libertus (Liberta).
A. L. A. Amico (Aram) Libens Animo.
A. L. F. (P.) Amico Libens Fecit (Posuit.).
A. L. V. S. Animo Lubens Votum Solvit.
A. M. P. Amico Monumentum Posuit.
AN. A. V. C. Anno Ab Vrbe Condita.
AN. C. H. S. E. Annorum Centum Hic Situs (Sita) Est.
ANN. Annonae.
AN. P. M. L. Annorum Plus Minus Quinquaginta.
AN. V. P. M. II. Annis Vixit Plus Minus Duobus.
A. O. Amico Optimo. Alii Omnes.
AP. Appius. Appia *tribu.*
AP. CONS. Apollini Conservatori.
A. P. F. Auro (Argento) Publico Feriundo.
A. P. P. V. F. Ad Populum Plebem-Ve Ferant.
A. P. R. C. Anno Post Romam Conditam.

AQ. Aquilifer.

AR. DD. Aram Dedicavit.

ARG. P. X. Argenti Pondo Decem.

ARM. Armeniacus. Armilustria.

ARN. Arniesi *tribu.*

AR. VV. D. D. Aram Votivam Dono Dedit.

A. S. L. Animo Solvit Libens.

A. S. L. F. Amico Suo Libens Fecit.

A. T. A Tergo.

A. V. C. Ab Vrbe Condita (Anno Vrbis Conditae).

AVG. Augur. Augusta. Augustalis. Augustus.

AVG. LIB. Augusti Liberalitas (Libertus). (Augustae Liberta).

A. V. L. Animo Vovit Libens. Annos Vixit Quinquaginta.

AVR. Aurelia. Aurelius. Aurum.

B

B. Balbus. Beatus. Bene. Bonus.

B9. bus. *terminatio*, ut OMNIB9. pro Omnibus.

B. A. Bonis Avibus (Auguriis. Ausp'ciis).

BASC. Basilica.

B. D. S. M. Bene De Se Merito. (Meritae. Merenti).

B. E. Bona Eius.

B. F. (BF.) Beneficiarius. Benefecit. Beneficium. Bona Fide (Fortuna.). Bonum Factum.

B. F. P. Bonae Fidei Possessor.

B. H. M. Bene Hic Maneat.

B. M. Beatae (Bonae) Memoriae. Bene Maneat (Merenti.) Bonis Manibus.

B. M. H. E. Bene Merenti Hoc Erexit. *etc.*

B. M. M. P. Bene Merenti Monumentum Posuit.

B. M. P. (S.) C. Bene Merenti Poni (Sepulcrum) Curavit (Condidit).

B. O. Bene Optime. Bono Omine. Bona Omnia.

B. P. Bono Publico. Bonorum Possessor.

B. P. D. Bono Publico Datum (Dedit).

B. Q. (RE.) Bene Quiescat. (Requiescat).

B. R. (RP.) N. Bono Rei Publicae Natus.

B. S. Bona Sua. *etc.*

B. V. Bene Vale. (Valeat. Vixit.)

B. V. A. Bene Vixit Annis. Boni Viri Arbitratu.

B. in sequioribus potissimum monumentis pro V. occurrit, ut BIAR. BIX. pro *Viarum*, *Vixit.*

C

C. Caius Caia. Causa. Censor. Centum. Centuria. Civitate. Clarissimus. Cohors. Collegium. Colonia. Comitialis *dies*. Condemno. Coniux. Consul. Cornelius. Curavit.

CA. Camillus. Cato. Causa.

C. A. Caesar Augustus. Caesarea Augusta.

CAES. AVG. PON. MAX. COS. V. DICT. PERP. Caesar Augur Pontifex Maximus Consul Quintum Dictator Perpetuus.

CAR. Carissimus. Carissima. Carmentalia.

C. B. M. F. Coniugi Bene Merenti Fecit.

C. C. Caiis *duobus*. Causa Cognita. Coniugi Carissimo.

C. C. C. Censa Civium Capita. (Calumniae Cavendae Causa).

C. C. C. L. L. Caiorum *duorum* Con Liberti.

C. C. S. Curavit Cum Suis. Curaverunt Communi Sumptu.
C. D. Caius Drusus. Collegium Decurionum. Communi Dividundo.
C. E. Curavit Erigi.
C. E. C. Coloni Eius Coloniae.
CEN. Censor. Centum. Centuria. Centurio.
CEN. P. Censor Perpetuus (Primus).
CER. Cerealia.
C. F. Caii Filius (Filia). Carissimus Filius. Clarissima Femina. Coniux (Coniugi) Fecit. Curavit Fieri.
C. F. C. Clavi Figendi Causa.
C. F. M. Curavit Fieri Monumentum.
C. H. Curavit Heres.
C. H. M. Consecravit Hoc Monumentum. Curavit Hanc Memoriam.
CHO. Cohors.
C. I. C. Caius Iulius Caesar.
CL. Claudius. Claudia *tribu*. Clarissimus. Colonia.
CL. V. Clarissimo Viro.
C. M. Caesar Maximus. Cujus Marius. Causa Mortis. Curavit Monumentum. Coniux Marito.
C. M. D. Coniux Marito (Coniugi Maritus) Dedit.
C. M. F. Coniux Marito (Coniugi Maritus) Fecit. Curavit Monumentum Fieri. Clarissimae Memoriae Femina.
C. M. S. Condidit Monumentum Sibi.
C. M. T. Curavit Monumentum Testamento.
C. M. V. Clarissimae Memoriae Viro. Curavit Monumentum Viveus.
C. MVN. Curator Municipii.

CN. Cnaeus Cnaea.
C. O. Civitas Omnis. Coniugi Optimo, mae.
CO. Coniux. Coniugi.
COACT. A. CONL. ABD. I. E. L. F. E. Coactus A Conlega Abdicavit. In Eius Locum Factus Est.
COER. Coeravit, i. e. *Curavit.* Coeravere.
COH. Coheres. Cohors.
COH. I. PR. P. V. Cohors Prima Praetoria Pia Victrix.
COL. Collega. Collegium. Coloni. Colonia. Collocatum.
COL. AA. PATR. Colonia Augusta Patrensis.
COL. DED. Colonia Deducta. Colonis Dedit.
COM. R. P. Comes Rerum Privatarum.
COM. S. L. Comes Sacrarum Largitionum.
COM. M. Communi Matri.
COM. AS. ROM. ET. AVG. Commune Asiae Romae Et Augusto.
COM. HAB. C. Comitiorum Habendorum Causa.
COMM. Commilitones. Commodus, *etc.*
COMM. CONS. Communi Consensu.
COMP. Compari. Compitalia.
CON. Contagium. Coniux. Conlega. Consul. Consularis.
CONCORD. EXERC. Concordia Exercituum.
CONLAC. F. Con. Lacrymis Fecit, i. e. *Cum lacr.* (*Alii legunt*, Conlacrumantes Fecerunt).
CON. P. S. Consularis Provinciae Siciliae.
CONS. Consiliarius. Consualia. Consul. Consularis. Consulatu.
CONSEN. Consentibus *Diis.*
CON. SEN. ET. EQ. OR. P. Q. R. Consensu Senatus Et Equestris Ordinis Populi Que Romani.
CON. SOL. D. Condendo Solum Dedit.

CONS. S. Conservatori suo.
C. O. P. Comites Ordinis Primi.
COR. Cohors. Cornelius. Cornelia *tribu.* Corona. Corvinus.
COR. VAL. II. Coronis Vallaribus Duabus.
COS. Consul. Consoles. Consularis.
COS. DES. S. D. Consuli Designato Salutem Dicit.
COS. ORD. Consul Ordinarius.
COSS. PRAET. TRIBB. PL. S. P. PL. Q. R. Consulibus Praetoribus Tribunis Plebis Senatui Populo Plebique Romanae.
COS. VIR. Consularis Vir.
COS. V. P. P. Consul Quintum Pater Patriae.
C. P. Cinerarium Posuit. Curavit Ponendum.
C. P. S. Curavit Poni Sibi.
C. P. S. E. Curavit Pecunia Sua (Proprio Sumptu) Erigi.
C. P. T. Curavit Poni Titulum.
C. Q. S. S. Et Causa Quae Supra Scripta Est.
C. R. Civis Romanus. Cives Romani. Curavit Refici.
CR· Creticus Crispus.
CRAS. Crassus.
C. R. C. Cuius Rei Causa.
CRVST· ET. SPORT. N. S. X. N. Crustulum Et sportulas Nomine Suo Decem Nummos.
C. S. Communi sumptu. Consulum Sententia. Cum Suis. Curavit Sibi. Coniugi. Suo. (Suae).
CS. Caesar. Consiliarius. Consul.
C. S. C. P. T. M. Cum Suis Curavit Poni Titulum Monumenti.
C. S. F. Communi Sumptu Factum. Curavit Sibi Faciendum. Cum suis Fecit.
C. S. H. Communi Sumptu Heredum. Cum Suis Heredibus.

C. S. H. S. S. S V. T. L. Communi Sepulcro Hic Siti Sunt. Sit Vobis Terra Levis.

C. S. H. S. T. T. L. Communi Sumptu Heredum. Sit Tibi Terra Levis.

C. S. S. Cum Suis Servis. Curavit Sibi Sepulcrum. Curavit Sibi Suis.

C. V. Centum Vir. Centum Viri. Clarissimus Vir. Consul Quintum.

C. V. I. CELSA. Colonia Victrix Iulia Celsa.

CV. MA. F. AN. XV. Cum Marito Fuit Annos quindecim.

C. V. M. P. Contra Votum Memoriam Posuit. Curavit Vivens Monumentum Poni.

C. V. P. V. D. D. Clarissimus Vir Praefectus Vrbi DeDicavit ono (DDDedit). Communi Voluntate Publice Votum Dederunt.

CVR. Cura. Curator. Curavit. Curia. Curio. Curulis.

CVR. AED. SAC. Curatori Aedium Sacrarum.

CVR. ANN. Curatori Annonae.

CVRAT. OP. PVB. Curatori Operum Publicorum.

CVR. D. S. Curavi De Suo.

CVB. ET. SVB. ASC. DED. Curavit Et Sub Ascia Dedicavit.

CVR. II. FRVM. COM. Curator Iterum Frumenti Comparandi.

CVR. P. P. Curator Pecuniae Publicae.

CVR. RP. Curator Rei Publicae.

CVR. SAC. PVB. P. R. Curator Sacrorum Publicorum Populi Romani.

D

D. Data. Decimus. Decius. Decurio. edicavit. Dedit. Depositus. Devotus. Deus. Di-

ctator. Dies. Diis. Divus. Donavit. Dominus. Domo.
D. A. C. Divus Augustus Caesar.
DAC. Dacia. Dacius.
D. A. S. Divo Augusto Sacrum.
DAT. ET. PP. Data Et Proposita.
DAT. POP. Datum Populo.
D. B. I. Diis Bene Iuvantibus.
D. B. M. Dedit Bene Merenti.
D. B. S. F. De Bonis Suis Fecit.
D. C. Divus Caesar. Decurio Coloniae. Decurionum Collegium.
D. C. A. Divus Caesar Augustus.
D. C. ND. L. De Causa Non Dum Liquet.
D. CP. Datum Costantinopoli.
D. C. S. De Consilii Sententia.
D. D. Decurionum Decreto. Dedicavit. Dedicatum. Dedit Donavit. Dedit Dedicavit. Dono Dedit. Deo Domestico. Dis Deabus. Diis Dantibus. Dotis Dictio.
DD. Dederunt. Dedicavit. Dedicaverunt. Dies.
D. DD. Dono dederunt. *etc.*
D. D. D. Datum Decreto Decurionum, *etc.* Dono Dedit Dedicavit.
D. D. D. D. Dignum Deo Donum Dicavit. Dono Datum Decreto Decurionum.
DDD. NNN. FFF. Domini Nostri Felices *tres.*
D. D. D. S. Dono Dedit De Suo.
D. D. L. Dono Dedit Lugens (Libens).
D. D. L. M. Dono Dedit Libens Merito. (Libero Munere).
D. D. M. Dedicatum Dis Manibus. Dono Dedit Monumentum.
DD. NN. AVGG. Dominorum Nostrorum Augustorum.
D. D. O. P. Dis Deabus Omnibus Posuit.

D. D. Q. Dedit Donavit Quae. *etc.* Dis Deabus Quae.

D. D. S. Dis Deabus Sacrum.

DE. Decius. Defunctus.

DEC. Decessit. Decius. Decurio.

DEC. DEC. MVN. MAL. Decreto Decurionum Municipii Malacitani.

DEC. HS. XII. N. Decurionibus Sestertios Duodecim. Numero.

DEC. * XIII. AVG. XII. POP. XI. Decurionibus Denarios Tredecim. Augustalibus Duodecim. Populo Vndecim.

DED. Dedicavit *etc.*

D. E. R. I. S. C. De Ea Re Ita Senatus Censuit.

D. F. Decimi (Divi) Filius (Filia) (Det Fisco).

D. F. D. I. P. Decurionum Fide Dividenda In Publicum. (*Possit etiam exponi*, Inter Plebem).

D. F. HS. C. Det Fisco Sestertios Centum.

DE. P. S. P. De Pecunia Sua Posuit.

D. G. Dedit (Donavit) Gratis. (*quidni* Gratus ?

D. H. Donavit Heredibus. Dono Habuit.

D. I. Dari Iussit. Diis Immortalibus. Diis Inferis.

DEN. Denatus.

DEP. EST IN. PA. Depositus Est In Pace.

DESS. Designati.

DIAL. Dialis *Flamen.*

DIC. Dictator.

DICT. SEDIT. SEDAN. ET. R. G. C. Dictator Seditionis Sedandae Et Rei Gerendae Causa.

DIG. M. Dignus Memoria. Digna Mulier.

DIL. S. Dilectissimus Servus.

D. I. M. Deae Isidi Magnae. Deo Invicto Mithrae. Dis Inferis Manibus (Malis).

D. IMM. S. Diis Immortalibus Sacrum.

D. I. S. Dis. Infernis Sacrum.

DIS. D. Q. Dis DeabusQue.

DISP. ET. TABVL. ; Dispensator Et Tabularius.

D. L. Dedit. Libens. (Locum. Lugens.) Donavit, Locum. Decimi Libertus.

D. L. A. P. Donum Libens Animo Posuit.

D. L. D. L. D. D. D. Dono Libens Dedit. Locus Datus Decreto Decurionum.

D. L. D. P. Dis Locum Dedit Publice.

D. L. D. Datus Locus Monumenti. Dedit Libens Merito.

D. L. S. Dedit Locum Sepulturae. Dis Laribus Sacrum.

D. M. Deae (Deum) Matris. Dedit Moerens. Monumentum). Dis Manibus. Divae Memoriae. Divino Monitu. Dolus Malus. *etc.* Domus Mortui. (Dicatum Memoriae).

D. M. A. Dolus Malus Abesto.

D. M. AE. Deo Magno Aeterno.

D. M. E. M. AE. Deo Magno (Dis Manibus) Et Memoriae Aeternae.

D. M. F. V. C. Doli Mali Fraudis Ve Causa.

D. M. L. Datus (Dicatus) Memoriae Locus. Dedit Merito Libens.

D. M. M. I. Deae Magnae Matri Isidi (Ideae).

D. O. M. Deo Optimo Maximo.

D. M. P. Dis Manibus. (Defunctae Monumentum) Posuit.

D. M. V. F. Dis Manibus Votum (Vivens. Vniversis) Fecit.

D. N. Dominus Noster.
DNA. Domina.
D. N. M. Q. E. Devotus Numini Maiestati Que Eius.
D. O. M. S. Deo Optimo Maximo (Diis Omnibus Manibus) Sacrum.
DON. DON. Donis Donatus.
D. P. Dedit Publice. De Pecunia. Diis Patriis (Penatibus). Divus Pius. Donum Posuit.
D. PEC. R. De Pecuniis Repetundis.
D. P. M. V. Dies Plus Minus Quinque.
D. PP. Data Proposita. Data Publicata. Dis Perpetuis.
D. P. P. De Pecunia Publica (Propria).
D. P. S. De Pecunia Sua. Dedit Proprio Sumptu. Dis Penatibus (Perpetuis) Sacrum.
D. P. S. D. L. D. P. De Pecunia Sua Dedicavit. Locus Datus Publice.
D. Q. S. De Quo Supra. Dies Qui Supra.
DR. Drusus.
D. S. Data Subscripta. Deo Sancto. Deo Sacrum. De Suo.
D. S. B. H. S. De Suis Bonis Hoc Sibi Sumserunt (Suis).
D. S. D. D. De Suo Donum Dedit *etc.*
D. S. I. M. Deo Soli Invicto Mithrae.
D. S. I. P. C. De Sua Impensa Poni Curavit.
D. S. P. Deo Sacrum Posuit. De Sua Pecunia. De Suo Posuit.
D. S. P. P. De Sua Pecunia Posuit. De Suo Posuere.
D. S. S. De Suo Sibi. De Senatus Sententia. De Suo Sumptu.
D. S. V. S. L. L. M. De suo Voium Solvit Lubentissime Merito.
D. T. Dedit Testamento. (Titulum. Tumulum).

(Dum Taxat).

D. V. Dedit Vivens. Devota Vestae. Devotus Vester (Vir). Dies Quintus. Dis Volentibus. Donec Vixit.

DVL. Dulcis. Dulcissimus. *etc.*

D. V. S. Dedit Vivens Sibi. Dis Vniversis Sacrum.

DVVMV. Duum Vir. Duum Viratus.

E

E. Eius. Ei. Eorum. Eis. Erexit. Est. Ergo.

E. B. Eius Bona.

E. C. Eius Causa. Erigi Curavit.

ED. Edicto.

E. D. Eius Domus. (Dominus).

EDV. P. D. Edulium Populo Dedit.

EE. Esse.

EE. N. P. Esse Non Potest.

E. F. Egregia Femina. Erigi Fecit. Eius Filius.

EG. Egit. Egregius. *etc.*

ER. S. B. M. F. Erga Se Bene Merenti Fecit.

E. H. Eius Heres.

E. H. E. Ex Heres Esto.

E. H. L. N. R. Eius Hac Lege Nihil Rogatur.

E. H. T. N. N. S. Extraneus Heres Tumulum Nunc Non Sequitur. Exterum Heredem Titulus Noster Non Sequitur.

EID. MART. Eidus Martias.

E. I. M. C. V. Ex Iure Manu Consertum Vocavit.

E. L. Ea Lege. Eius Locus. Edita Lex.

E. M. Eius Mater. Egregiae Memoriae. (Mu-

lieri.) Erexit Monumentum.
EM. Emeritus. Emit.
EMP. Emptor. Empta.
EM. VR. Eminenti Viro.
EN. Endotercisus *h. e. Intercisus dies*. Enim.
EOR. Eorum.
EP. Epistola. Epitaphium.
EP. M. Epistolam Misit.
EPVL. INDICT. Epulum Indictum.
EQ. Eques. Equiria.
EQ. M. Equitum Magister.
EQ. M. P. Equum Meruit Publicum.
EQ. O. Equester Ordo *etc.*
EQ. P. Equus Publicus *etc.*
EQ. R. E. P. Eques Romanus Equo Publico.
EQ. SING. Eques Singularis.
ER. Erit. Erogator.
E. R. A. Ea res agitur.
E. S. ET. LIB. M. E. Et Sibi Et Libertis Monumentum Erexit.
E. S. S. PQ. R. Ex Sententia Senatus PopuliQue Romani.
ESQ. Esquilina *tribu*.
E. T. F. I. S. Ex Testamento Fieri Iussit Sibi.
ET. L. L. P. Q. E. Et Libertis Libertabus Posteris Que Eorum.
ET. S. A. D. Et Sub Ascia Dedicavit.
ET. S. ET. S. LIB. L. P. Q. E. Et Sibi Et Suis Libertis Libertabus Posteris Que Eorum.
E. V. Egregius Vir. *etc.* (Ex Voto.)
E. V. L. S. Eius Votum Libenter Solverunt. Ei Votum Libens Solvit.
EVOC. Evocatus.
EXACT. TRIB. CIVIT. GALL. Exactor Tributorum Civitatum Galliae.
EX. A. D. C. A. Ex Auctoritate Divi Caesaris Augusti.

EX. A. D. K. Ex Ante Diem Kalendas.
EX. A. P. Ex Argento Publico.
EX. C. C. Ex Civitatis (Coloniarum , Communi) Consensu.
EX. D. Ex Decreto (Decuria , Domo , Dono).
EX. E. Exheres Esto.
EX. EA. P. Q. I. S. AD. AER. D. E. Ex Ea Pecunia Quae Iussu Senatus Ad AErarium Delata Est.
EX. GER. I. Ex Germania Inferiori.
EX. H. L. N. R. Ex Hac Lege Nihil Rogatur.
EX. I. Q. Ex Iure Quiritum.
EX. M. D. Ex Monitu Dedit.
EX. NVM. FRVM. LEG. Ex Numero Frumentariorum Legionis.
EX. ORD. ARVS. Ex Ordine Aruspicum.
EX. PR. Ex Praetorio. Ex Pratoria *Nave*.
EXQ. Exquilina *tribu*.
EX. R. Exactis Regibus.
EX. S. C. P. Ex Senatus Consulto Posuit. Ex Suo Curavit Ponendum.
EX. S. D. Ex Senatus Decreto. Ex Suo Dedit.
EX. T. F. I. Ex Testamento Fieri Iussit.
EX. V. Ex Quinta. Ex Visu. Ex Voto.
EX. V. S. P. Ex Voto Sacrum (Suo , Suscepto). Posuit.

F

F. Faciendum. Factum. Fecit. Fieri. Familia. Factus *dies*. Felix. Feliciter. Femina. Fides. Filius. Filia. Frater. Fronte. Fuit.

FAB. Fabius. Fabia. *tribu*. Fabrum.

FAI. Falerina *tribu.*

FAM. Familia. Familiaris.

F. C. Faciendum Curavit. Fidei Commissum. Fiduciae Causa. Fraude Creditoris. Filio Carissimo, *vel* Filiae. Fecit Coniux.

F. D. Fides Data. *etc.* Factum Dedicavit. Flamen Dialis.

F. E. Factum. Est. Fecit Erigi. Fides (Filius) Eius.

F. E. D. Factum Esse Dicitur.

FEL. P. R. Felicitas Populi Romani.

FER. Feralia.

FER. LAT. C. Feriarum Latinarum Causa.

FER. NEP. Feriae Neptuni.

F. E. S. Fecit Et Sacravit. Fecit Et Suis.

F. F. F. Fabrefactum Fabricaverunt. Fecerunt. Fieri Fecit. Filii. Filius Familias. Fratres. Flando Feriundo.

F. F. F. Ferro Flamma Fame Flavii Filius Fecit (Fuit). (Flando Faciendo Feriundo).

F. FL. Fratris Filius.

FF. PP. FF. Fortissimi. Piissimi. Felicissimi.

F. F. Q. Filiis FiliabusQue.

F. H. Fecerunt Hoc. Fecit Heres *etc.* Filius Heres. Femina Honesta.

F. HC. Familiae Herciscundae.

F. I. Fide Iussor. Fieri Iussit.

F. I. A. P. Felix Iulia Augusta Pia.

FI. B. Fide Bona.

FID. M. Fides Militum.

F. L. Favete Linguis. Fecit Locum. Feminae Lectissimae.

FL. Filius. Filia. Flamen. Flaminica Flaminius. Flavia *tribu.* Flavius.

FLCA. Falcidia *lex.*

FLO. Floralia.

F. M. Fati Munus. Fecit Monumentum. (Memoriam. Moerens. Merenti) Fieri Mandavit.
F. M. I. Fati Munus Implevit. Fieri Monumentum Iussit.
F. N. C. Fidei Nostrae Commisit.
F. O. Fratri Optimo.
FONT. Fontinalia.
FOR. Forum. Fortuna. Fortis.
FOR. RE. EX. S. C. Fortunae Reduci Ex Senatus Consulto.
F. P. Fastus Primo. Fecit Patri (Publice). Filius Patri. Filio Pater (Posuit) Fas Praetori. Feriae Publicae.
F. R. Finium Regundorum *etc*.
FR. Forum. Frater. Fronte. Frumentarius.
FR. D. Frumenti Dandi.
FS. Familias. Fratres. Filiis.
F. T. C. Fieri Testamento (Titulum) Curavit.
F. V. C. Fidei Vestrae Commissum. Fieri Vivens Curavit. FraudisVe Causa.
F. V. S. L. M. Fecit Vivens Sibi Locum Monumenti. Fecit Voto Suscepto Libens Merito.

G.

G. Gaius. Gaudium. Genius. Gens. Genus. *etc*. Gesta. Gratia.
GAL. Galeria *tribu*. Galerius. Gallus.
G. B. D. M. P. Genio Bono Dicavit Monumentum Publice.
G. D. Germanicus Dacicus. Gratis Dedit.
GEM. Gemina *Legio*. Gemellus.
GER. Germanicus.
L.G. Gemina *Legio* Gesserunt.
G. G Genio Loci. Gaii Libertus *etc*.

GL. E. R. Gloria Exercitus Romani.
GL. P. Gloria Parentum. (Populi , Patriae).
G. M. Genio Malo.
GN. Gens. Genius. Genere. Gnaeus.
GN. N. T. M. D. D. Genio Numini Tutelari Monumentum (Merito) DeDicatum.
G. P. Galliae Procurator. Genio Posuit (Parentum).
GR. Gerit. Grex. Gratis.
GRAC. Gracchus.
GR. D. Gratis Dedit.
G. S. Genio Sacrum.
G. V. Genio Vrbis. Gnaeus Valerius. Gravitas Vestra.
G. V. S. Genio Vrbis Sacrum. Gratis (Gratus) Votum Solvit.

H

H. Habet. Heres *etc.* Hic. Hoc. Honestus. Honor. Hora. *etc.*
H. A. C. Heres Amico Curavit.
H. A. E. C. Hanc Aedem Ei Condidit. Hanc Aram Erigi Curavit.
H A. I. R. Honore Accepto Impendium Remisit.
H. B. Heres Bonorum. Hora Bona.
H. B. V. P. Heres BonorumVe Possessor.
H. C. CV. Hic Condi Curavit.
HC. L. S. P. S. Hunc Locum Sepulturae Posuit Sibi.
H. D. D. Heredes Dono Dedere. Honori Domus Divinae.
HER. S. Herculi Sacrum.
H. E. S. Hic Est Situs (Sepultus).
H. ET. L. Heredes Et Liberti.

H. F. Heres Fecit. Hic Fundavit. Honesta Femina.

H. H. Heredes. Homo Honestus (Hispaniarum).

H. H. M. S. Heredes Hoc Monumentum Sequitur.

H. I. Hic. Iacet.

HILAR. TEMP. Hilaritas Temporum.

H. K. N. Have Karissime Nobis.

H. L. Hac Lege. Hic Locus *etc.* Hoc Legavit. Honesto Loco.

H. L. D. Heres Libens (Hoc Libens. Hunc Locum) Dedit.

H. L. H. N. S. Hic Locus Heredes Non Sequitur.

H. L. N. Honesto Loco Natus.

H. L. R. Hac lege Rogatum.

H. M. Hoc Mandavit. Hoc Monumentum. Honesta Mulier. (Hanc Memoriam.) Honesta Missione. Hora Mortis.

H. M. AD. H. N. T. Hoc Monumentum Ad Heredes Non Transit.

H. M. D. M. A. Huic Monumento Dolus Malus Abesto.

H. M. E. H. N. S. Hoc Monumentum Exterum Heredem Non Sequitur.

H. M. E. N. R. Hoc Monumentum Exterum Non Recipit.

H. M. G. N. S. Hoc Monumentum Gentiles Non sequitur.

H. M. IN. F. P. X. IN. A. P. X. Hoc Monumentum In Fronte Pedes Decem In Agro Pedes Decem.

H. M. S. M. Hoc Monumentum (Hanc Memoriam) Sibi Mandavit.

H. M. S. S. E. H. N. S. Hoc Monumentum

sive Sepulcrum Exteros Heredes Non Sequitur.
H. N. D. M. A. Heredi Non Datur Monumenti Actio.
H. O. Hostem Occidit. Hoste Occiso.
HO. Homo. Honestus Honor. Hora.
HOR. Hora *etc.* Horatia *tribu.*
HOS. Hospes. Hostis.
H. O. S. Hic Ossa Sita.
H. O. S. E. H. N. S. Haec Ollarum Series Exterum Heredem Non Sequitur.
H. P. Hasta Pura. Hic Positus. Hic Posuit. Hora Pessima.
H. R. Hic Requiescit. Honesta Ratio.
H. R. E. I. Q. M. E. A. Hanc Rem Ex Iure Quiritum Meam Esse Aio.
H. R. I. P. Hic Requiescat In Pace.
H. R. I. R. Honore Recepto Impensam Remisit.
H. S. Herculi sacrum. Heredem Solvi. Hic Situs *etc.* Hoc Sepulcrum. Hora Secunda. Hoc Solus.
H. S. *Sive* HS. Sestertius. Sestertium.
H. S. E. T. F. I. H. F. C. Hic Situs Est. Testamento Fieri Iussit. Heredes Faciundum Curaverunt.
H. S. F. H. T. F. Hoc Sibi Fecit. Heredes Titulum Fecerunt.
H. S. H. N. S. Hoc Sepulcrum Heredes Non Sequitur.
H. S. S. Hic Siti (Sepulti) Sunt.
H. S. T. N. E. Huic Sepulcro Titulus Non Est.
H. S. V. F. M. Hoc Sibi Vivens Fieri Mandavit.
H. T. V. P. Hunc Titulum Vivus Posuit.
H. V. Hispaniae Vtriusque. Honestus Vir. Ho-

nore. Vsus. Heri. Quinque. Hoc Volens. Hoc Vivus. Hoc Votum.

I

I. Immortalis. Imperator In Inferis. Inter. Invicto. Iovi. Iterum. Iulius. Iussit. *Semel. Vnum. Assis nota.*

IAN. Ianuarius.

IAN. CLV. Ianus Clusus. Ianum Clusit.

IN. T. C. Intra Tempus Constitutum.

I. B. In Brevi.

I. C. Intra Circulum. Iulius Caesar. Iuris Consultus.

I. C. E. V. Iusta Causa Esse Videtur.

I. D. Inferis Diis Iovi Dedicatum. Isidi Deae. Iuri Dicundo *etc.* Iuris Dictio.

ID. Idus *etc.*

I. D. P. Idemque Probavit. Iuri Dicundo Praeest. *etc.*

I. D. T. S. P. In Diem Tertium Sive Perendinum.

I. E. Id Est. In Edictis. Iudex Esto.

I. F. In Foro. In Fronte Inter Fuit. Iussu.

I. H. Iacet Hic Iustus Homo.

I. H. D. D. In Honorem Domus Divinae (Deorum Dear.)

II. *Iterum. Secundum Duo.*

II. VIR. I. D. QQ. Duum Vir Iuri Dicundo QuinQuennalis.

I. L. Illius Libertus (Liberta.) In Loco. Intra Limitem. Iure Legis. Iusta Lex.

I. L. D. In Loco Divino. Ipse (Illi) Libens Dedit *etc.*

I. L. P. (R. *vel* S.) In Loco Publico (Religioso. Sacro).

MM. II. HON. IIII. Immunis Iterum Honoratus Quartum.

IMP. Imperator. Imperatrix. Imperio.

IMP. RECEPT. Imperio (Imperatore) Recepto.

IN. MAG. M. E. IN. E. L. F. E. In Magistratu Mortuus Est. In Ejus Locum Factus Est.

INF. AER. PP. R. H. S. M. N. Inferat Aerario Populi Romani Sestertios Mille Nummos.

IN. M. (PR.) O. E. IN Magistratu (Praelio) Occisus Est.

IN R. P. S. FVNC. In Re Publica Sua Functus.

INTEG. FAM. Integrae Famae.

I. O. M. C. Iovi Optimo Maximo Conservatori.

I. O. M. S. P. Q. R. V. S. PR. S. IMP. CAES. QVOD. PER. EV. R. P. IN. AMP. ATQ. TRAN. S. E. Iovi Optimo Maximo Senatus Populusque Romanus Votis susceptis Pro salute Imperatoris Caesaris Quod Per Eum Res Publica In Ampliore Atque Tranquilliore Statu Est.

I. P. In Pace. In Possessione Indulgentiss. Patrono. Iustus Possessor. Iussit Poni.

I. Q. Iure Quiritum.

I. Q. P. IdemQue Probavit.

I. R. Iovi Regi. Iunoni Reginae. Iure Romano (Rogavit).

I. S. In Senatu. In Suis. (In Suos.) Iovi Sacrum. Iudicatum Solvi. Iudicium Solvit. Iudicio Senatus.

I. S. C. In Senatus Consulto. Iudex Sacrarum Cognitionum.

I. S. L. M. Ipse Solvit Lubens Merito.

I. S. M. R. Iuno Sospita Magna Regina.

I. SN. R. In Senatu Romano.

*

I. S. S. Inferius Scripta Sunt.
I. S. V. P. Ipsi Sibi (Impensa Sua) Vivi Posuere.
I. T. C. Intra Tempus Constitutum.
IVD. Iudex. Iudicium.
IVD. CAP. Iudaica Capta.
I. V. E. E. RP. F. S. V. C. Ita Vt Eis E Republica Fideve Sua Videbatur Censuere.
IVG. Iugali.
IVL. Iulius. Iulia.
IVRD Iuridicus. Iuris Dictio.

K

K. Kaeso. Kaia. Kalendae. Kalumnia. Kaput. Karissimus. *etc.* Kardo. Karthago.
K C. Kalumniae Causa Kapite Caesus (Census.) Karthago Civitas
K. D. Kalendae Decembres. Kapite Deminutus.
K. F. Kal. Febr. Kardo Finalis. Kariss. Fil.
K. L. V. Kaput Legis Quintum.
K. N. Kaesonis Nepos. Kal. Novembr. Karissime Nobis.
K. P. Karissime Parens. Kardo Positus. Kastra Posuit.
K. Q. (S.) Kaléndae Quintiles (Sextiles).

L

L. Laribus. Latinos. Latum. Legavit. Legio. Lex. Libens. Libertus. Libra. Locavit. Locus. Longum. Lucius. Lustrum. Quinquaginta Ludus.
L. A. D. Libens Animo Dedit. *etc.* Locus Alteri Datus.
L. AG. Leg. Agraria.

L. AP. Ludus Apollinis. *etc.*

L. B. M. D. Locum (Liberto, Libertae) Bene Merenti Dedit.

LB. S. Libens Solvit.

L. C. Latini Cives (Coloni). Lege Cavetur. Libertatis Causa. Locus Concessus Lucius Cornelius.

L. D. P. Libertus Domino (Liberto Dominus) Posuit. Locus Datus Publice.

L. D. S. C. Locus Datus Senatus Consulto (Sepulturae Causa. Sententia Collegii) Libens De Suo Curavit.

L. E. D. Lege Eius Damnatus. Libens Ei Dedit. Locus Ei Datus.

LEG. Legatum. Legatus. Legavit. Lege. Legio. *etc.*

LEG. I. ADI. P. F. ANT. Legio Prima Adiutrix Pia (Fidelis) Felix Antoniana.

LEG. V. M. P. C. Legio Quinta Martia (Macedonica) Pia Constans.

LEG. XIIII. G. M. V. Legio Decima Quarta Gemina Martia Victrix.

L. E. H. M. C. S. Lubens Et Libens Merito Cum Suis.

L. EM. Locus Emptus.

LEM. Lemonia *tribu.* Lemuria.

LEP. Lepidus.

L. F. Libens (Libertus. Lugens. Lustrum) Fecit. Lucii Filius.

L. F. F. O. M. M. D. S. Libens Fieri Fecit Omni Meliori Modo De Suo.

LG. Legatus. Legavit. Legio.

L. H. F. C. Libertus Heres (Locum Hunc. Libens. Libertus. Lugens Hoc) Faciundum Curavit.

L. I. Lex Iulia.

LIB Liber. Liberalia. Liberalitas. Libertus *etc.* Libertas.
LIB. LIB. P. Q E. Libertis Libertabus PosterisQue Eorum.
LIB. TABVL. Librarius Tabularii.
L. IV. REP. Lex Iulia Repetundarum.
L. L. Libens Lubens. Libentissime. Libertis Libertabus. Lucii Libertus. *etc.*
L. L. Dupondius. Legibus. Liberti *duo*.
L. L. Q. S. P. Q. S. Libertis LibertabusQue Suis PosterisQue Suorum.
LLS. Sestertius.
L. M. Legavit (Locavit) Memoriam (Monumentum.) Libens Merito. Libero Munere. Locus Monumenti. (Mortuorum). *etc.* M. Lucius Muraena.
L. M. E. Locum Monumenti Elegit. (Erexit).
L. O. Liberto Optimo. Libertis Omnibus.
L. P. Locus Proprius. (Propitius. Publicus.) Lege Punitus.
L. P. C. R. Latini Pris i Cives Romani. Libens Poni Curavit Requietorium.
L. P. F. F. V. A. VI. Lugens Pater Filio Fecit. Vixit Annos Sex.
L. PR. Locus Privatus *etc.*
L. Q. S. Locus Qui Supra.
L. R. Lege Rogatus. Lex Romana. Locus Religiosus. Locavit Requietorium.
L. S. Laribus Sacrum. Libens Solvit. Liberto Suo. Locus Sacer. Locus Sepulturae.
L. S. M. C. P. Locum Sibi Monumenti Curavit Poni.
L. T. Legavit Testamento. (Titulum). Legem Tulit. Lucius Tatius (Titius).
L. V. Lex Vetat. Libens Vovit.
LVD. PLEB. IN. CIRC. Ludi Plebeii In Circo.

L. VOC. Lex Voconia. Lucius Voconius.
LV. P. F. Ludos Publicos Fecit.
LVSTR. MISS. Lustrum Missum.

M

M. Magister. Magistratus. Magnus. Manibus. Marcus. Marca. Mars. Mater. Memoriae. Menses. Miles. Militavit. Millia. Missio. Monumentum. Mortuus. Mulier.
M. Manius.
MAC. AVG. Macellum Augusti.
MAEC. Maecia *tribu*.
MAG. EQ. Magister Equitum.
MAG. QVINQ. COLL. FABR. TIG. Magister Quinquennalis Collegii Fabrum Tignariorum.
M. A. G. S. Memor Animo Grato Solvit.
MAI. Maior.
MAM. Mamercus.
MAN. IRAT. H. Manes Iratos Habeat.
MAR. Marius. Maritus. Marmor.
MAR. VLT. Mars Vltor.
MATR. Matralia. (*Matris Matutae festum*).
MAX. POT. Maximus Pontifex.
M. B. Memoriae Bonae. Merenti Bene. Mulier Bona.
M. B. M. F. Monumentum (Matri. Mulieri. Marito) Bene Merenti Fecit.
M. C. Marcus Cato. (Censor. Cicero.) Memoriae (Mortis) Causa. Monumentum Condidit. (Curavit.) *etc.* Matri (Mulieri) Carissimae.
M. CS. Marcus Caesar.
M. C. T. Monumentum Curavit Testamento.
M. D. Manibus Dis. Matri Deum. *etc.*
M. D. M. I. Magnae Deum Matri Idacae. (Isidi).

M. E. Memoriam Erexit. Mortuus Est.
M. E. M. D. D. E. Municipibus Eius Municipii Dare Damnas Esto.
MEN. Menenia. (*tribu*).
MERC. Mercator. Mercurius. Mercurialis.
MERK. D. Merkedonius (Mercedinus) Dies.
M. F. P. Malae Fidei Possessor. Mater Filio Posuit.
M. H. Mulier Honesta. Mandavit Hoc. *etc.*
M. H. AD. H. N. T. Monumentum Hoc Ad Heredes Non Transit.
M. H. E. Mihi Heres Esto.
M. H. E. N. R. Monumentum Hoc (Heredem) Extraneum Non Recipit.
M. H. H. N. S. Monumentum Hoc Heres (*potius* Heredem) Non Sequitur.
M. H. S. M. Memoriam Hanc Sibi Mandavit. *etc.*
M. I. Matri Idaeae. (Isidi). Maximo Iovi. Monumentum Iussit.
M. I. I.. COH X. IV. VRB. Miles Cohortis Decimae Iuvenum Vrbanorum.
MI. ME. H. D. D. S. Mihi Meisque Hoc DeDicavi Sepulcrum.
MIN. Minervae. Minor. Minutia *tribu*.
M. L. Marci Libertus. Merito Lubens. Miles Legionis. Militis Locum. Monumentum Legavit. *etc.*
ML. CL. PR. RA. Miles Classis Praetoriae Ravennatis.
ML. PR. Miles Praetorianus.
M. M. Magnae Matri. (Moestae Memoriae.)
MM. Marci *duo*. Memoriae. Meritissimo. Milites.
M. M. D. Matri Magnae Deum. Matri (Marito. Merenti) Monumentum Dedit.
M. N. Marci Nepos. Meo Nomine. Millia Nummum.

M. P. Mille Passus. Millia Passuum. Memoriam (Moerens. Mensam) Posuit. *etc.*

M. R. Miles Romanus. Municipinm Ravennas.

M. S. Manibus Sacrum. Merito Solvit. Municipi Suo.

M. S. Maiestati. Menses.

M. S. A. Moneta Sacra Augusti.

M. S. C. Monumentum Sibi Constituit. *etc.*

M. S. P. Memoriae Suae Posuit. *etc.*

M. S. S. H. N. S. Monumentum Sive Sepulcrum (Supra Scriptum) Heredem Non Sequitur.

M. T. C. Marcus Tullius Cicero.

M. V. Manibus Vniversis Minerviae Victricis *Legionis.* Monumentum vivens.

MVN. Munere. Municeps. Municipium. *etc.*

M. V. S. Merito Votum Solvit.

N

N. Natione. Natus. Nefastus (*dies*). Nepos. Neptuno. Nobilis. Nomine. Noms. Noster. Numerarius. Numerius. Numero. Nummus.

NAT. Natalia. Natus. Natione. Natia.

N. C. Nero (Nobiliss.) Caesar. Non Credo.

N. C. N. P. Nec Clam Nec Precario.

N. D. D. Numini Dicatissimus. Devotissimus.

N. D. F. E. Ne De Familia Exeat.

NEG. VIN. Negotiator Vinarius.

NEP. RED. Neptuno Reduci.

NEPT. Neptunalia.

N. F. C. Nostrae Fidei Commissum.

N. F. (G) N. Nobili Familia (Genere) Natus.

N. H. V. N. AVG. Nuncupavit Hoc Votum Numini Augusto.

N. I. Nomine Ipsius. Numinis Iussu.

N. L. Nominis Latini. Non Licet. Non Liquet. Non Longe. Numero Quinquaginta.
N. L. M. F. ET. TV. Nobis (Nostrum; Novum) Locum Monumenti Fecit Et Tumulum.
N. M. Non Minus.
N. M. N. S. Novum Monumentum Nomine Suo.
N. M. Q. E. D. Numini Maiestatique Eius Devotissimus.
N. P. Nefastus Primo. Nomine Proprio.
N. R. Natione Romanus. Non restituerunt.
NR. CL. Nero Claudius.
N. S. Nomine Suo. Non Sequitur. Novum Sepulcrum. Numerii Servus.
N. T. M. Numini Tutelari Municipii.
N. TRAN. H. L. Non Transilias (Ne Transeas) Hunc Locum.
N. V. N. D. N. P. O. Neque Vendetur Neque Donabitur Neque Pignori Obligabitur.
N. VV. H. INF. S. Neminem Volumus Hoc Inferri sepulcro.

O

O. Obtulit. Omnibus. Oportet. Optimo. Optio. Ordo.
OB. AN. L. Obiit Anno Quinquagesimo.
OB. C. S. OB Cives Servatos.
OB. M. E. Ob Merita Eius.
OB. M. P. ET. C. Ob Merita Pietatis Et Concordiae.
OB. R. B. G. Ob Res Bene Gestas.
O. C. Omnis Civitas. Ope Consilio. Ordo Clarissimus.
OC. Occasus. Occisus.
O. D. M. Opera Donum Munus.
O. D. S. M. Optime De Se Merito.

O. E. B. Q. C. Ossa Eius Bene Quiescant Condita.
O. E. R. Ob Eam Rem.
O. F. Opus Fecit. Omni Fide.
O. H. F. Omnibus Honoribus Functus. Ossuarium Hoc Fecit.
O. H. S. S. Ossa Hic Sita Sunt.
O. L. Operas (Ollam) Locavit.
OL. D. D. Ollam Dono Dedit.
O. L. O. C. Opere Locato. Opere Conducto.
O. M. Optime Merito. Optimo Maximo.
O. M. T. Optimo Maximo Tonanti.
O. P. Optimo Patri. (Principi Patrono).
OP. Opiter. Oportet. Oppidum. Optimo. Opus.
OP. ET. S. P. Optimo, Et Sancto Patrono (Patronae).
OPIC. Opiconsiva.
OPIF. Opifera.
ORB. PAR. Orbati Parentes.
OR. M. Ordo Militaris. Ornamentis Militaribus.
OSS. Ossarium. Ossuarium.
O. V. F. Omnia (Omnibus) Vivens Fecit. Optimo Viventi (Viro) Fecit.

P

P. Pace. Pactum. Passus. Pater. Pecunia. Pedes. Perpetuus. Pius. Plebs. Pontifex. Populus. Possessor. *etc.* Posuit. Potestas. Praetor. Princeps. Pro. Provincia. Publice. Publia. Publius. Puer. Pupillus.
P. A. Pius Augustus. Posuit Aram.
PAL. Palatina *tribu*. Palilia.
PAP. Papia *tribu*.
P. A. P. B. M. Patri Avo Patrono Bene Merito.

PAR. Parenti. *etc.* Parilia. Parthicus.

PAR. INF. P. Parentes Infelicissimi Posuerunt.

PATR. Patricius. Patronus.

PATR. COL. CVR. RP. II. VIR. MVNICIP. PROC. AVG. VIAE. OST. ET. CAMP. Patrono Coloniae Curatori Rei Publicae Duum Viro Municipii Procuratori Augustali Viae Ostiae Et Campanae.

P. C. Pactum Conventum. Patres Conscripti. Patrono Coloniae. Pecunia Constituta. Pedes Centum. Ponendum (Publice) Curavit. *etc.* Praefectus Castrorum. Pro Consul.

P. C. L. Publius Cornelius Licinius. Publii Con Libertus.

P. C. N. Posuerunt Communi Nomine.

P. C. R. Ponendum Curavit Requietorium.

P. D. Patriciatus Dignitas. Publice Dedit. Ponendum Decrevit.

P. D. S. Proposita Data Scripta. Posuit De Suo.

P. E. Posteris Eius (Eorum). Publice Erexerunt.

P. EQ. M. Publico Equo Meruit.

PER. Peregrinus. Permissu. Perpetuus. Pertinax.

P. EX. R. Post Exactos Reges.

P. F. Pia Fidelis. Pius Felix. Publice Fecit. *etc.* Pater Filio. *etc.*

P. H. C. Patrono Heres (Ponendum Hoc) Curavit. Provincia (Praetor) Hispan. Citerior.

P. I. Pater Indulgentiss. Poni Iussit. Princeps Inventutis.

P. I. A. V. P. V. D. Praetorum Iudicem Arbitrum Ve Postulo Vti Des.

P. I. R. P. Q. I. S. I. F. P. R. E. A. D. P. Populum Iure Rogavit Populus Que Iure Scivit. In Foro Pro Restris Et Ante Diem Pridie.

P. I. S. Pius In suis (Suos). Poni Iussit Sibi. Posteris Item Suis. Publica Impensa. Sepultus.

P. K. Parens Karissime. Pridie Kalendas. Praetor Kandidatus.

P. L. Posuit Libens (Lugens). Publii Libertus.

P. L. C. Pecunia Lugduni Cusa.

P. M. Passus Mille. Plus Minus. Patronus Municipii. *etc.*

P. M. T. P. IM. P. P. Pontifex Maximus Tribunitia Potestate Imperator Pater Patriae.

PO. POblilia *tribu*. Populus Posuit.

POM. Pompeius. Pomptina (*tribu*).

P. O. M. S. Parenti (Patrono) Optime Merito Sacrum.

POPLIF. Poplifugium.

PORT. Portumnalia.

POST. Postumus.

P. O. S. V. I. T. Posuit.

POT. Potestate.

P. P. Pater Patratus. (Patriae.) Parenti (Patrono. Populus. Publice.) Posuit.
PerPetuus. Praefectus Praetorio. PraePositus.
Propria (publica) Pecunia. ProPraetor. Publii *duo*.

PP. Papiria *tribu*. PerPetuus. PraePosita. PraePositus. Posuere. Primipilus. Proposita.

P. P. F. Pia Pollens Felix.

P. P. L. V. Pro Praede Litis Vindiciarum.

P. PL. V. Populum Plebem Ve.

P. P. O. C. V. Praefectus Praetorio Orientis Clarissimus Vir.

P. P. P. ProPrietate (Propria Pecunia) Posuit. ProPraetor Provinciae.

P. P. P. C. PrimiPilo Praetoriae Cohortis. *etc.*

P. P. P. P. P. Praefecto Praetorio per Provinciam Pannoniam.

P. P. R. V. P. I. C. Pace Populo Romano Vbique Parta Ianum Clausit.

P. Q. E. PosterisQue Eorum.

P. Q. S. V. F. PosterisQue Suis Vivens Fecit.

P. R. Populus Romanus. Pro Rostris. Posuit Requietorium.

PR. Pater. Praetor. Pridie. Princeps. Primigenia.

PRAE. AER. Praefectus Aerarii.

P. R. C. A. Post Romam Conditam Annis.

PR. CER. Praetor Cerealis.

P. R. E. Post Reges Exactos.

PRIM. Primipilus. Primo. Primus.

PRI. STIP. H. S. E. Primo Stipendio Hic situs est.

PR. M. S. Pro Merito suo.

PR. N. Pro Nepos.

PRO. AVG. Providentia Augusti.

PROC. ProConsul. ProCurator.

PRO. MAG. L. D. Pro Magister Larium Divinorum.

PRON. ProNepos.

PRO. PR.
ProPraetor.
PROPR.

PROQ. P. ProQuaestor Provinciae.

PRO. S. Pro. salute.

PROT. Protector.

PROV. Provincia. Providentia.

PR. P. Praeses Provinciae. ProPraetor.

PR. PER. Praetor Peregrinus.

PR. PR. Praefectus Praetorio. ProPraetor.

PR. P. R. E. V. Procurator Privatae Rei Egregius Vir.

P. R. Q. Populo Romano Quiritum.
PR. Q. AER. ET ALIM. Pro Questor Aerarii Et Alimentorum.
PRR. Praetores.
PR. S. Praetoris (Pro) Sententia. Patri Suo.
PRS. P. Posteris Posuit. Praeses Provinciae.
PR. TVT. Praetor Tutelaris.
PR. VR. Praetor Vrbanus.
P. R. V. X Populi Romani Vota Decennalia.
P. S. Pecunia Sua. Plebiscitum. Posteris Suis. Posuit Sibi. Proprio (Privato. Publico) Sumptu. Proserpinae Sacrum. Pro Salute. Publicae Saluti.
P. S. O. Pecunia Sua Ordinavit. Posuit suis Omnibus.
P. S. P. Q. P. (R.) Pro Se ProQue Patria (Republica).
P. S. T Q. H. Praecipito Sumito TibiQue Habeto:
PT. Pater. Praeter.
P. T. S. Posuit Titulum Sibi.
P. V. Pedes Quinque. Perfectiss. (Praestantiss. Primarius). Vir. Pia Victrix. Praefectus Vigilum (Vrbi.)
PV. Provincia. Publilica *tribu*.
PVBL. L. Publico Luctu.
P. V. D. Postulo Vti Des. Pro Voto Dedit.
P. V. F. Posteris Vniversis Fecit.
PV. HO. Publico Honore.
P. VI. S. Pedes Sex Semis.
PVP. Pupillus. Pupinia (*tribu*).
P. V. V. L. S. Pro Vt Voverat Libens Solvit.

Q

Q. Quadrati. Quaesitus. Quaeston. Quantum. Quartum. Quae. Qui *etc*. Quinta. Quintus. Quinquennalis. Quirites.

Q. A. Quaestor Aedilis.

Q. A. M. Quem Ad Modum.

Q. A. NQ. N. Quando Ais Neque Negabo (Negas).

Q. B. F. Qui Bixit Feliciter.

Q. B. M. V. Quae Bene Mecum Vixit.

Q. C. M. P. I. Quintus Caecilius Metellus pius Imperator.

Q. D. C. Qua De Causa.

Q. D. E. R. F. P. D. E. R. V. I. C. Quid De Ea Re Fieri Placeret, De Ea Re Universi Ita Censuerunt.

Q. D. R. P. G. V. Qua De Re Peto Gravitatem Vestram.

Q. E. R. E. T P. I. R. D. T. Q. D. T. X. D. P. F. Quanti Ea Res Erit Tantae Pecuniae Judicium Recuperatorium Dabo Testibus Que Dumtaxat Decem Denuntiandi Potestatem Faciam.

Q. F. E. I. S. F. D. C. S. Quod Factum Esse In Senatu Ferunt De Consulum Sententia.

Q. I. S. S. Qui Infra Scripti Sunt. *etc*.

Q. L. F. Quem Locum (Qui Libens) Fecit.

Q. N. A. N. N. Quando Neque Ais Neque Negas.

Q. N T. S. Q. P. Quando Negas Te Sacramento Quinquagenario Provoco.

Q. P. Quaestor Praetorius. (Provincialis. Publicus).

QQ. Quamquam. Quinquennalis. Quoque.

Q. Q. V. L. H. S. QuoQuo Vorsum Latitudo Huic Sepulcro (Latum Hoc Sepulcrum).

Q. Q. V. P. L. QuoQuo Vorsum Pedes Quinquaginta.

QR. QuaRe.

Q. R. C. F. Quando Rex Comitiavit Fas

Q. R. F. E. V. Quod Recte Factum Esse Videbitur.

Q. S. N. T. E. PR. T. PL. Q. D. E. Q. E. V. A. P. PL. V. F. Quod Si Non Tulerit Eos Praetores Tribuni Plebis Qui Deinceps Erunt Quod Eis Videbitur Ad Populum Plebem Ve Ferant.

Q. S. P. P. S. Qui Sacris Publicis Praesto Sunt.

Q. S. S. S. Qui Supra Scripti (Quae Supra Scripta) Sunt.

Q. V. A. Qui (Quae) Vixit Annis.

Q. V. F. COS. D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C. Quod Verba Fecit Consul De Ea Re Quod Fieri Placeret De Ea Re Ita Censuerunt.

QVI. LEGIS. T. V. Qui Legis Titulum Vale.

QVINQ. Quinquatria. Quinque. Quinquennalitas.

QVIR. Quirina *tribu*. Quirinalia. Quirites.

QVIN MAG. IV. Quinquennalitius Magister Iuvenum.

QVOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. I. S. AD. AE. D. E. Quod Viae Munitae Sunt Ex Ea Pecunia Quae Iussu Senatus Ad Aerarium Delata Est.

R

R. Rationalis. Ravennas. Recte. Requietorium. Res. *etc.* Responsum. Respublica. Restituit. Retro. Rogavit. Roma. Romanus. Rostris.

RAP. Rapax *legio*.

RAT. S. R. Rationalis Sacrarum Rationum (Remunerationum).

R. C. Romani Cives. Romana Civitas.

R. CC. Remissio Ducentesimae.

R. D. Requietorium Dedit. Regis Domus. *etc.*

R. E. C. H. Requietorium Eius Curavit Hic (Ei Curavit H res.

REGIF. Regifugium.

R. G. C. Rei Gerundae Causa.

RG. F. Regis Filius (Filius Familia).

R. L. P. Recte Legi Possit.

RO. Roma. Romani. Romilia *tribu*.

ROB. Robigalia.

R. P. Res Publica. (Privata) Retro Pedes. Romae Percussa. Romana Pecunia.

R. P. C. C. Rei Publicae Constituendae Causa. *etc.*

R. R. Recta Regione Reiectis Ruderibus.

R. S. Romae Signata.

RS. Responsum. Rescriptum.

RVF. Rufus. Rufinus.

RVR. Rura. Rursum.

R. XL. Remissa Quadragesima.

S

S. Sacellum. Sacrum. Salus. *etc.* Scriptus. Semis. Senatus. Sententia. Sepulcrum. Sequitur. Servus. Sibi. Sine. Sit. *etc.* Situs. Sive. Sodalis. Stipendium. Sub. Suis.

SAB. Sabatina *tribu*.

SAC. VRB. S. P. Sacerdote Vrbano Sibi Praecunte.

S. A. D. Sub Ascia Dedicavit.

SAR. Sarranus.

SARM. Sarmaticus.
SAT. Saturnalia.
S. C. Senatus Consultum. *etc.* Sumptu Communi.
SCA. Scaptia *tribu.*
S. C. D. S. Sibi Curavit De Suo.
S. C. F. E. Senatus Consultum Factum Est.
SCL. Scilicet.
SC. L. CM. Sacrae Largitionis Comes.
SC. MM. Sanctae (Sacrae) Memoriae.
S. S. C. P. Senatus Consulto, Plebiscitum.
SCR. ADF. Scribundo Adfuerunt.
SCR. SVL. P. Scriba Sulmonensis Populi.
S. D. Sacrum Diis. Salutem (Dedit. Sententiam) Dicit. Sibi (Soli) Dedit.
S. D. S. Sibi De Suo. Soli Deo Sacrum.
SEP. September. Septimius.
SER. Serratus *nummus.* Sergia *tribu.* Sergius. Servilius. Servius. Servus.
S. E. S. O. Sibi Et Suis Omnibus.
S. E. T. L. Sit Ei Terra Levis.
SEV. Severus. Sevir.
SEX. Sextus. Sexta.
S. F. Satis (Sibi. Suis.) Fecit. Sine Fraude. Sacris Faciundis.
S. H. L. Sibi Hoc Legavit.
SIGN LEG. Signifer Legionis.
SIG. PR. SA. Signum Pro Salute.
S. I. M. Soli Invicto Mithrae.
SI. P. P. S. F. Signum Posuit Pecunia sua Factum.
S. I. R. Sua Impensa Restituit. Sacrum Iunoni Reginae.
SI. V. G. V. Si Vales Gaudeo. Valeo.
S. L. Sacrarum Largitionum. Sacrorum Ludorum. Senatus Legitimus. Solvit Libens. Suis (Liberis) Libertis.

S. L. M. N. Sibi Locum Monumenti Nuncupavit.

S. M. Sacrum Manibus (Memoriae). Sine Malo. Solvit Merito. Sacra (Signata) Moneta.

S. M. A. G. S. Sacrum Memori Animo Gratis (Gratus) Solvit.

S. M. A. L. S. Sacrum Memoriae Animo Libens Solvit.

S. M. P. E. Sibi Monumentum Publice Elegit. (Erexit).

S. M. T. S. Sacra Moneta Treviris Signata.

SN. Senatus. Sententia Sine.

S. N. C. Sestertios Nummos Centum.

S. N. L. Socii Nominis Latini.

S. N. S. Q. Si Negat Sacramento (Sacramentum) Quaerito.

S. P. Sacerdos Perpetua. Sacri Palatii. Sacrum (Sibi) Posuit. Sua Pecunia. Sumptu Proprio.

SP. Spectatus. Spectavit. Sportula. Spurius. Stipendium. Supra.

S. P. C. S. Sibi Posuit Cum Suis. Sua Pecunia Curavit Sibi.

S. P. Salutem Plurimam Dicit *etc.*

SPD. Supra Dictus.

SPEC. Spectavit. Speculator.

S. P. EIVS. C. C. Q. Q. Solo Privato Eius Collegium Consensu QuinQuennalitiorum.

SPL. Splendidus. Splendidissimus.

S. P. P. Sibi Posteris Posuit. *etc.*

S. P. P. D. D. Sumptu Proprio Positum Dono Dedit. *etc.*

S. P. Q. Sibi PosterisQue. Senatus PopulusQue.

S. P. Q. R. CL. V. Senatus PopulusQue Romanus Clypeum Vovit.

S. Q. D. E. R. A. P. P. V. L. O. E. COSS. PRR. TR. PL. Q. N. S. Q. E. V. A. P. P. V. F. Si Quid De Ea Re Ad Populum Ple-

bem Ve Latu Opus Est Consules Praetores Tribuni Plebis Qui Nunc Sunt Quod Eis Videbitur Ad Populum Plebem Ve Ferant.

S. Q. S. S. E. Q. I. N. S. R. E. H. L. N. R. Si Quid Sacri Sanctique Est Quod Ius Non Sit Rogari Eius Hac Lege Nihil Rogatur.

S. R. L. E. E. I. C. Q. O. R. E. Si Rem Lex Ex Eius Iussu Causa Que Omnium Rerum Esto.

S. S. Sacri Scrinij. Sanctiss. (Sententia) Senatus. Sibi Suis. Suo Sumptu. Supra Scriptus. *etc.*

SS. Sanctissimis. Sestertiis. Suavissimis. *etc.* Suis.

S. S. C. S. D. E. T. V. Secundum Suam Causam Sicuti Dixi Ecce Tibi Vindictam.

S. S. S. Sancto Silvano (Soli Sanctissimo) Sacrum. Supra Scriptae Summae (Scripta Sunt).

S. S. T. N. Supra Scriptorum Tantum Nomine.

ST. *Silentii nota.* Sententia. Stipendium. Stadium. Statuit. Status.

S. T. A. Sine Tutoris Auctoritate.

STE. Stellatina *tribu.*

S. T. T. L. Sit Tibi Terra Levis.

S. T. V. B. E. E. Q. V. Si Tu Vales Bene Est Ego Quidem Valeo (*et similia similiter*).

SVB. }
SVC. } Suburrana sive Sucusaria *tribu.*

SVF. Suffectus.

S. V. F. Sibi Vivens Fecit.

S. V. G. E V. Si Vales Gaudeo Ego Valeo.

S. V. L. Q. V. V. B. E. E. E. Q. V. Si Vos LiberiQue Vestri Valetis Bene Est Ego ExercitusQue Valemus.

S. V. P. HAC. F. Sponsione Vtriusque Partis Hac Facta.

SVSC. EX. VIS. Susceptum Ex Visu.

S. V. T. L. Sit Vobis Terra Levis.

T

T. Tantum. Tempus. Terra. Testamento. Testis. Tibi. Titus. Triarii. Tribunus. Tullius. Turma. Tutela. Tutor.
T. *Nomini militis adpositum* superstitem notabat, uti Θ, *ubicumque invenitur*, mortuum.
T. A. Tutoris Auctoritate.
TAB. Tabulae. Tabularius.
TB. Tiberius. Tibi. Tribunus.
TB. D. F. M. AD. Tibi Dulciss. Filio Meo Adoptato.
T. C. Testamento Cavetur. (Constituit.) Titulum Curavit.
TEMP. FEL. Temporum Felicitas.
TER. Terentina *tribu*. Terentius. Terenarius. Terminalia. Tertia. Tertium.
TESS. Tesserarius.
T. F. Titus Flavius. *etc.*
T. F. I. EX. V. H. Testamento (Titulum) Fieri Iussit Ex Voluntate Heredis.
T. F. L. (M.) Testamento Fieri Legavit (Mandavit).
T. H. R. Testamento Heredem Reliquit.
TI. Tiberius.
T. M. Titulum Monumenti. Testamento Mandavit. *etc.*
T. P. Terminum (Titulum) Posuit. Tribunitia Potestate.
TP. B. Tempus Bonum.
T. P. I. EX. ARG. P. C. Testamento Poni Iussit Ex Argenti Pondo Centum.
TR. AE. Tribuni Aerarii.
TR. CAP. Triumviri Capitales.

TR. CEL. Tribuni Celerum
T. R. E. S. P. R. Terra Regesta Ex Sua Pecunia Restituit.
TRO. Tromentina *tribu.*
TR. P. Trevnis Percussa. Tribunus Plebis. Tribunitia Potestate.
T. R. T. H. Tuas Res Tibi Habeto.
T. R. V. MON. Trium-Viri Monetales.
T. T. F. V. Testamento Titulum Fieri Voluit. Titulum Fecit Vivens.
T. V. Titulo Vsus. Testamento Vovit.
TVB Tubilustrium.
TVL. Tullius. Tullus.
TVT. Tutela.

V

V. Valeo. Vale. Vesta. Vester. Veteranus. Vicit. Victor. Victoriatus. *nummus.* Vir. Virgo. Vivens. Vivus. *etc.* Volero. Volusus. Vopiscus. Votum. Vovit. Vrbs. Vxor. Quinque. Quintum.
V. A. Veterano Adsignatum. Vixit Annis. Votum Animo.
V. AET. Virtus AEterna.
VAL. Valerius. Valeria. Valerianus.
V. B. A. Viri Boni Arbitratu.
V. C. Vale Coniux. Vivens Curavit. Vir Clarissimus (Consularis). Vrbis Conditae.
V. D. Vir Devotus (Doctus.) Vivus (Votum) Dedit. Volentibus Diis.
V. D. A. Vale Dulcis Amice (Amica. Anima).
V. D. N. V. Vale Deus Nostrae Vrbis.
V. D. P. R. L. P. Vnde De Plano Recte Legi Possit.
V. E. Verum Etiam. Vir Egregius (Excel-

leus) Visum Est. Votum Eius.

VEL. Velina *tribu*.

VE. Vestamen. Veteranus.

VESP. Vespasianus.

VEST. Vestalis. Vestalia.

VET. Veturia *tribu*. Veteranus.

V. F. Vale Feliciter. Verba Fecit. Vir Fortis. *etc*. Vivus (Votum) Fecit. Voluit Fieri. Vsus Fructus.

V. F. N. M. N. S. Vivens Fecit Novum Monumentum Nomine Suo.

V. G. Verbi Gratia.

V. I. Vir Illustris (Iustus).

VI. Vixit. Sex.

VIC. Vicarius. Vicit. Victor. Victoria. Victrix. (*Potest quoque notare Nonaginta quatuor*).

VIN. Vinalia.

VIR. Virgilius. Virgo. Virtus.

V. L. P. (S). Votum Libens Posuit (Solvit).

V. M. Vir Magnificus. Vivens Mandavit. Volens Merito.

V. M. M. Votum Merito Minervae (Magnae Matri).

V. M. S. Voto Merito Suscepto. Votum Merito Solvit.

V. MVN. Vias Munivit.

V. N. Quinto Nonas. Vrbs Nostra.

VO. Voconius. Volero. Votinia *tribu*. Volusus

VO. DE. Vota Decennalia.

VOL. Volcanalia. Voltinia *tribu*.

VOLT. Volturnalia. *etc*.

V. OP. Vir. Optimus.

VOT. E. Voti Ergo.

VOT. QQ. MVLT. X. Votis Quinquennalibus. Multis Decennalibus.

V. P. Vicarius Praefecti. Vir Perfectissimus.

(Patricius. Primarius. Probus. Prudens). Vrbis Praefectus. Votum (Vivus) Posuit. Vtriusque Pannoniae:

V. P. R. Veteri Possessori Redditum. Vota Pro Reditu.

V. PR. (Q) Vir Praetorius. (Quaestorius).

V. R. Votum Reddit. Vrbs Roma. Vti Rogas.

V. S. Vice Sacra. Voto Sollemni (Suscepto). Votum Solvit. Vir Sacer. (Sanctus) Vxor Sanctissima. Vivens Statuit.

V. S. C. Voti Sui Compos. *etc.*

V. S. I. Vice Sacra Iudicans.

V. S. L. D. B. P. Voto Suscepto Libens. Deae Bonae Posuit (Dedit Bono Publico).

V. S. L. M. Vivens Sibi Locum Monumenti *etc.* Votum Solvit. Libens Merito. Voto Soluto Libero Munere.

V. S. S. Vivens Sibi Statuit. (Suis). Votum Sacrum (Susceptum) Solvit. *etc.*

V. S. T. Voto Suscepto Tulit.

V. T. F. I. Vsus Titulo (Vivens Titulum) Fieri Iussit.

V. V. Virgo Victrix. Vestalis Valens. Votum Vovit. Voverunt.

V. V. C. C. Viri Clarissimi.

V. V. L. Virginum Vestalium Liberta (Libertus).

V. V. M. Virgo Vestalis Maxima.

VXO. C. L. B. P. Vxori Carissimae Locus Bene Positus. (*Melius forte*) Vxori Coniux Lugens Bustum Posuit.

X

X. Decem. Decimus. Denarius.

X. E. Decimae Erogator.

XV. Decem Vir. Quindecim.

XX. ANNALIB. Vicennalibus Votis.
XX. HER. Vicesima Hereditatum.

Z

ZEN. Zenobius.

INDEX

CAPITUM

CAPUT I.

De Vestibus Romanorum. pag.

CAPUT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

CAPVT V.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

CAPVT VII.

CAPVT XI.

CAPVT XII.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

Primus Numerus denotat Partem alter paginam, N. Adnotationem.

A

B

D

F

G

H

I.

K

L

M

N

O

P

Q

R

T

V

FINIS.